CONSIDERATIONES

Supra præcipuos Articulos REGULÆ DIVI AURELIJ AUGUSTINI EPISCOPI HIPPONENSIS.

Et Ecclesiæ DOCTORIS Eximij;

Ex Sacra Scriptura, SS. Patribus, Asceseos Magistris, probatissimis Auctoribus, Studiô privatô, cujusdam Canonici Regul: Later:

SELECTÆ.

Demum auctæ, operâ

REVERENDISSIMI DOMINI

MATTHÆI KRASZEWSKI

Divinâ Providentiâ ABBATIS exemptæ & immediatè S. Sedi Apostolicæ subjectæ Canoniæ Cervenensis, CANONICI Cathedralis Plocensis.

Usui & commoditati RR. Canonicorum Cervenensium, ad modum Epistolæ Pastoralis dicatæ; Omnibus verò Religiosis, sub eadem Regula Aureliana DEO militantibus, mirè utiles.

IMPRESSÆ.

De Consensu Jllmi Officij Spiritualis.

VARSAVIÆ

Typis S. R. M. & Reipublicæ in Collegio Regio *Scholarum Piarum.*

PRÆFATIO.

SAnctus Augustinus, Ecclesiæ Doctor, & Decus singulare, Apostolicæ vitæ Amator, & Imitator maximus; scripsit præter alia celeberrima opera, etiam Regulas pro suis: compendium perfectionis, & sanctitatis, solidas continens virtutes, quæ Religiosum faciant, & ornent: amoris, & Religionis ad DEUM: obedientiæ, Charitatis, mansvetudinis, & justitiæ ad proximum, superiorem, æqualem & inferiorem, fortitudinis denique, ac temperantiæ perfectæ ad se ipsum, ut meritò dici possit: Pax super illos, qui hanc Regulam secuti fuerint: *ad Gal. 6. adeoque dignissimam, quæ non solum, juxta sanctissimam ipsius S. P. N. Augustini voluntatem, singulis septimanis legatur, vel audiatur, sed quæ per singulos etiam mensium dies, quotannis semel, iterumq́, aptis meditationibus imprimatur animis nostris. Tales exhibet præsens libellus; quibus fruere, & DEUM mecum precare, ut opitulante ipsius sanctissima gratiâ, exactè omnes Regulas observare valeamus. Etenim*

nim ſine gratia vocationis, in Religione vivere non poſſumus; hæc autem gratia, affixa eſt Regulis, per quas, veluti per canales, ad nos derivatur. Hinc B. M. Magdalena de Paz: DEO revelante didicit, inter quinque res petendas, pro quovìs Ordine conſervando, in ſuo primævo Spiritu, hanc quoque rem aſſiduè petendam: ut omnes Religioſi perfectè cognoſcant, quanti momenti ſit obſervare, quamlibet rem minimam Sanctæ Regulæ. Regula quam violamus, videtur forſan modica; ſed damnum inde emergens permagnum eſſe. Nos itaque continuo à DEO, magnis precibus flagitemus gratiam, ut pluris ſemper æſtimemus obſervationem Regulæ, quàm ullam rem hujus mundi, & ut conſtanter omnes, & ſingulas, nullâ neglectâ, accuratè bono exemplo ſervare valeamus. Ut enim ſangvis in membra defluit per venas, ſic & gratiæ Divinæ in nos derivantur per Regulas; Nec poſſunt canales hi ſanctioris vitæ truncari, ſine mortis periculo, ſi cuſtodiamus Ordinem, cuſtodiet nos in vitam æternam. Hæc cogitemus & seriò meditemur, atque ita vivere allaboremus, qui S. Auguſtinum amamus, & profitemur certiſſimum Ducem ad æternam Beatitudinem, quò nos tendimus.

DISSER-

DISSERTATIO EXEGETICA

De vero, & genuino Spiritu Vocationis, Ordinis Canonicorum Regul: Lateranen:

Obsecro vos, ut dignè ambuletis, vocatione quâ vocati estis. ad Ephesios 4. v. 1.

LIcet universi Religiosi Ordines, quibus S. Mater Ecclesia, velut *Regina in vestitu deaurato, circumdata varietate*, condecoratur, in substantiali votorum obligatione conveniant, peculiaria tamen cuique compe- tunt munia; quæ, & unum, ab altero discernunt, & cujusvis Instituti Sectatores, ad certam vivendi normam, propri-

umque Ordinis Spiritum, ſpecialiter ſe-ctandum adſtringunt. Sic enim videmus, quosdam Religioſos Ordines, multum actioni, alios plus tribuere contemplationi, alios ſolarum animarum, alios Corporum curam ſuſcipere, & profiteri, alios in ſumma paupertate, alios in perfectiſſima obedientia, alios denique in exteriori vivendi rigore, primarium, ac præcipuum ſui Ordinis ſtudium collocare. Sed quid tandem, de Sancto Ordine Canonico dicendum? etiamnè hic, communem omnibus reliquis, Religioſæ vitæ tenet ſubſtantiam? non quieſcit Apoſtolico-Auguſtiniana Inſtitutio, in ſupra enarratis particularitatibus, imò peculiaria ſibi vendicat munia, quæ Zeloſi hujus Inſtituti Cultores, proprium, ac genuinum, Sancti Ordinis noſtri, Spiritum aſſeruerunt.

Leonardus Haſtanet: in vita B. Alani de Solminiac Epiſcopi *cap.* 10. refert, hanc animadverſionem; quod, dum idem Alanus noſter, Ordinem Canonicorum Regularium, in commiſſo ſibi Cancelatenſi Collegio, ad competentem obſervantiam reducturus erat, imprimis

cona-

conatus eſt, proprium Spiritum, Canonici Ordinis indagare, & ſubjectis Canonicis inſinuare. Idque eventu felici, pientiſſimâ ſolertia ſuâ, & eximiâ vitæ Sanctitate, in tribus compendiosè Articulis oſtendit; videlicet apertè demonſtraturus; quod Ordo Canonicus in particulari teneatur eminere. 1. *Devotione Exemplari.* 2. *Charitate obſequiosâ.* 3. *Obedientiâ, amoris affectu ſtipatâ*, Has itaque virtutes, judicavit Ordini noſtro, quodammodo Characteriſticas, & ad ritè obeunda eſsentialia Ordini noſtro munia, ſummè neceſsarias, de quibus mox dicemus.

1. *Devotio Exemplaris.*

Certum eſt, inter primarias, & proprias Ordinis noſtri functiones eſse, horas Canonicas in Eccleſia publicè, coram populi frequentia decantare, & officia Divina, Miſsæque Sacrificia offerre, & celebrare; quod dudum docuit eximius Soc: JESU Doctor Franc: Zuares, & ſuo poſtmodum calculo confirmavit Eminentiſs: S.R.E. Cardinalis Rupifucaldius, de Ordine noſtro optimè meritus, dum dixit. *Proprium Canonici Regularis eſse,*

interesse Choro diu noctuque. Ut testatur Augustinus Errath in reg: *fol.* 48. *n.* 143. Nobis itaque Canonicis Regularibus, per se, & ex essentia competit Chorus, ac officij Divini publica celebratio, cùm tamen Monachis, alijsque similibus, ex accidenti tantum, & dispensatione conveniat. Quod ipsum satis ostendit S. Legislator noster, in Regula, ubi ait: *Psalmis & Hymnis cùm oratis DEUM &c. nolite cantare nisi, quod legitis esse cantandum &c.* Si ergo ex officio, nobis competit Divinas laudes decantare, quæso, quomodo officio huic, tam præcellenti, dignè satisfaciemus? nisi accedat necessaria devotio, quæ actiones nostras, teste nostro Hugone Victorino, velut anima corpus vivificat, dum è contra oratio nostra, sine devotione, in auribus DEI est, quasi mugitus boum, imò elangvida prorsus, & emortua, ut eruditè advertit Mauburnus noster *fol.* 169. Roseti *cap.* 8. *n.* 1. Nec arbitrariam proinde putes, hanc Orationis devotionem, ad quam triplici debitô S. Ordinis nostri Alumnos cit: Mauburnus obligatos esse, satis scitè ostendit, scilicet de-
bitô

bitô Juſtitiæ, mandato Regulæ, & ſtatuto Eccleſiæ. Debitô Juſtitiæ quidem, cum Fundatores, & Benefactores noſtros, bona ſua ſat copioſa, non in uſum perfunctoriè, ſed devotè pſallentium, Deoque ſervientium conceſſiſſe, & donâſse præſumendum ſit. Mandatô Regulæ expreſsè præcipientis, ut orationes noſtræ, quò ſunt frequentiores, tanto quoque ſint ſanctiores, id eſt devotiores. Statutô Eccleſiæ quæ in Concilio Aquisgranenſi, ſpecialem Canonicis Regularibus præſcripſit inſtructionem, ut nimirum. *Horis Canonicis interſint, curâ vigilantiſſima, humiliter, & devotè*, ut allegat Nebridius noſter, in Antiquario *fol.* 287. Et hæc de ſubſtantia devotionis. Circumſtantiam præterea, & qualitatem primi hujus Canonici Spiritûs inſpiciamus, quæ in eo conſiſtit, ut devotio noſtra ſit *Exemplaris*: cum enim Officia Divina à nobis celebranda ſint, non more Monachorum in occulto & in Oratorijs privatis, ſed in publico, & coram copioſo adſtantis Populi confluxu, neceſſarium eſt, ut devotio ſit Exemplaris, hoc eſt, ut in exteriore corporis, morum-

rumque compositione elucescat, modestia in situ, habitu, sensuumque custodia, adstantes ædificet, ac concinna cantûs Ecclesiastici svavitas, ab omni quoad fieri potest, errore segregata, audientium corda ad devotionem exstimulet. Quantum enim possit devota Oratio, & cantus, devotâ svavitate conditus, experimentô propriô edoctus, audiatur Augustinus, de cantu Ecclesiæ Mediolanensis, Dominum DEUM, sic alloquens: *Quantum flevi in Hymnis, & canticis tuis, svave sonantibus, Ecclesiæ tuæ vocibus, commotus acriter, voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua, in cor meum, & ex ea æstuabat affectus, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat cum eis. Lib. 9.* Confess: *cap.* 6. Id ipsum, & nos in cordibus audientium efficere poterimus, si in Divinis Officijs modestè conversari, svaviterque cantare studuerimus: ad quam quidem devotionem Exemplarem, nos denuò obligare videtur, allegatum Concilium Aquisgranense, quod præter superiùs dicta, pro Canonicorum Regularium Exemplari, in Divinis Officijs conversatione, disponit sequen-

ſequentia. *Mox ut ſignum datum fuerit, omnes ad Eccleſiam conveniant, quam non pompaticè, vel inhoneſtè, ſed cum reverentia, & DEI timore ingrediantur, in Choro ſtent religioſiſſimè; non otiosè fabulentur, ſed aut orent, aut cantent, aut audiant.* Hactenus dicta, pluribus Exemplis, ex Hiſtorijs Ordinis noſtri deprompptis, confirmare poſſem; ſed prætermiſſis illis, quæ Kempenſis noſter, de quibusdã Regularibus Ordinis noſtri recenſet, pauca, quæ in vita noſtri S. Vilhelmi Abbatis apud Godefridum Henſch. 6. Aprilis ponuntur, formalia, pro tua ædificatione adduco: *Circa devotionem in Choro pſallentium, ac Sacrum Altaris miniſterium; animus ejus ſedulò verſabatur, & devotiones in his tenerrimè diligebat.* Et hæc, de devotione Exemplari, quatenus primam partem Spiritûs Ordinis Canonici conſtituit, ſufficiant.

2. *Caritas Obſequioſa.*

Alteram Spiritus Canonici partem, denuo ex eſsentiali, imo & primaria Ordinis noſtri functione, non tam colligo, quam demonſtro. Certum quippe eſt, Canonico Ordini noſtro ex eſſentia compete-

petere vitam activam, & curam animarum; nam ut recentior quidam, satis eruditè in hanc rem argumentatur: *Canonici Regulares ex essentia sua Clerici*, quod vel inde constat, quia tum Concilium Tridentinum, & Constantiense, tum summi Pontifices Pius IV. & V. illis præcedentiam in Conventibus publicis præ Monachis, ex hac præcipuè ratione adjudicârunt, quia sunt ex essentia, & per se Clerici, quod etiam clarîs verbis affirmat, Abbas Panormitanus, celeberrimus Benedictini Ordinis Canonista, de Ordine nostro, sic scribens: *Monachi, ut Monachi, non sunt Clerici; sed Canonici Regulares, ut Canonici, sunt Clerici, & non possunt esse nisi Clerici.* Jdem pluribus tradunt, copiosi ex Ordine nostro Scriptores, S. Jvo, Stephanus Tornacensis, Augustinus Ticinensis, & alij; Clerici autem ex natura & essentia statûs sui, deputantur ad curam animarum, & vitam activam; consequenter, si Canonici Regulares, ut probatum est, per se, & ex essentia, sunt Clerici, per se quoque ipsis competit vita activa, ad proximorum salutem, quo-

vis

vis modò procurandam, ordinata. Huic igitur officio primario, & ut S. Dyonisius Areopagita ait: *Divinorum omnium divinissimo*, quâ ratione dignè satisfacient, nisi etiam, altero Canonici Ordinis Spiritu, scilicet *Charitate obsequiosa*, interius inflammati, proximorum salutem, velut unicum activæ vitæ objectum promovere, modîs omnibûs affectent ? tàm igitur cuique est necessarium, secunda hâc Spiritûs Canonici parte, bene esse imbutum, ut absque eo, nullus se reputet, genuinum Instituti Canonici professorem. *Duas quippe res* (sunt verba S. Legislatoris nostri) *professi sumus, Sanctitatem, & Clericatum, nam Clericatum propter populum suum, Deus imposuit cervicibus nostris.* Quibus certè verbis geminum, quem hactenus attuli, Canonici Ordinis Spiritum, clarissimè S. Doctor exprimit, unaque nos instruit, interiori Sanctitati, quam causat *Devotio Exemplaris*, jungendam esse commissi populi curam, ad cujus indefesam administrationem, nos animet *Charitas obsequiosa*, in animis nostris à primo Religionis tyrocinio radicata, à primo in-

quam

quam tyrocinio: ab hoc enim tempore, nulla quidem tibi cum proximo agendi offertur occaſio, ut tuæ priùs ſaluti, ſedulò providens, aliorum ſalutem, eò ſecurius, poſtmodum opereris: *nemò enim teſte Kempenſe apparet, niſi, qui libenter latet.* Et ipſe Chriſtus Dominus, ab omni perverſionis periculo infinitè remotus, primos triginta vitæ annos, contemplationi reſervans, reliquos tres, tandem activæ vitæ dicavit: non uno ſiquidem die, ſuccenditur ignis ille Divini amoris, qui Cor tuum, eo uſque inflammet, ut ſolo zelo divinæ laudis, & gloriæ, ex animarum ſalute conſtanter augendæ, maximum activæ vitæ negotium aggrediaris; quò, tamen igne deficiente, ſi non fruſtraneus, langvidus ſaltem erit, omnis in animarum cura conatus; non uno die domantur noxiæ paſſiones, malæque concupiſcentiæ, quibus tamen indomitis periculosè ſuſcipitur, alienæ ſalutis procuratio; teſtante hoc ipſum Apoſtolo, his verbis *Caſtigo Corpus meum, & in ſervitutem redigo, nè fortè, cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* Non uno die acquiritur, virtu-

tum

tum ſplendor, quò prælucere debent, qui animarum curam ſuſcipiunt, exigua enim prædicationi vis ineſt, ſi exempla & opera prædicantis, non concordent. Hoc igitur jam tibi capeſse negotij, ut ferventibus, iisque frequentibus, contemplativæ vitæ exercitiîs, puriſſimum animarum zelum, ſolo Divinæ gloriæ augendæ motivo innixum, in corde tuo implantes, hûc tua ſe nunc cura convertat, ut à noxijs paſſionibus purgatus, multifario virtutum ſplendore, temetipſum exornes, ſic præmunito feliciſſimè cedet omnis in animarum cura conatus, tempore à Superioribus deſignando, adhibendus. Primos Religioſæ vitæ annos, ſoli contemplationi impende, ut poſtmodum ſecuriùs, imò & fructuoſiùs operam dare poſſis, vitæ activæ. Nec tamen putes velim, laudabilem animarum zelum, quem ſubinde ex Divina Inſpiratione ſenties, primis hiſce annis, omni omnino cariturum effectu: id ſaltem efficiet, ut quibus perſonali alloquio prodeſse non licet, affectu ſaltē & oratione Dño DEO offerendis, prodeſse non intermittas. In ferventia ſubinde, hic

zelus

zelus erumpat desideria, omnia totius mundi impediendi peccata, nè Divina, summèque amanda DEI Bonitas, tam immanes patiatur offensas, nè infinitum Divini sangvinis pretium, in tot, quas Orcus aliàs absorberet, animabus maneat frustratum, nè tanta Divinæ Majestati dematur gloria, ex animabus, si salvarentur, percipienda. Clamabis frequenter cum Zacharia: *Jlluminare Domine his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent &c.* & alia, quæ Sanctus amor per se, tibi suggeret, ad Deum pro animarum salute ingeminabis suspiria, tanti apud Deum haud dubiò valitura; ut non multo minorem ijs, qui opere ipso in animarum lucris occupantur, sis reportaturus, meritorum coronam. O! quot viris tam Apostolico zelo succensis floruit, & etiamnum floret, Sacer Ordo Canonicus. Centum hujusmodi ex præcipuis tantum enumerat noster Petrus à S. Trudone, inter quos cæteris emicuit S. Patricius, qui quod Hybernorum gentem, Sacris Christianæ fidei, labore inexplicabili initiaverit, honorifico Hybernorum Apostoli titulô, ab universa condecoratur Ecclesia. 3.

3. *Obedientia Amoris affectu ſtipata.*

De tertia, quæ etiamnum ſupereſt, Spiritûs Canonici parte, ſcilicet: de *Obedientia amoris affectu ſtipata* dubitari meritò poteſt; quâ ratione, illa Ordini Noſtro, modò quodam ſpeciali ſit propria, cùm hæc potiùs omnibus omnino Religioſis Ordinibus, ſit communis. Hoc non obſtante, facili negotiô oſtendi poteſt, hanc virtutem ſpecialiter, Ordini noſtro eſſe convenientem, & tertiam conſtituere Spiritûs Canonici partem. Jllud enim Ordini noſtro, modo quodam ſpeciali eſt proprium, quod eſt illius, ab omni alio ſtatu, cum quo aliquam cæteroquin habet affinitatem, diſtinctivum, taliter autem nos diſtingvit *Obedientia amoris affectu ſtipatâ.* Licet enim cum Sæcularibus Clericis, magna nobis ob *Charitatem Obſequioſam*, quam & illis quoque communem eſſe decet, intercedat convenientia, ab illis autem nos diſtingvit, Obedientia Religioſa, Superiori clauſtrali, interjectô, etiam voti Sacramentô, promiſſa; ab alijs autem Religioſis Ordinibus, qui æquali nobiſcum

biſcum Obedientiæ vinculo ligantur, diſcernit nos,addita modificatio. *amoris affectu ſtipata*: alij quippe Religioſi, vi ſuarum Regularum ad obediendum, vel ſerijs pænitentijs còércentur, vel gravibus, quas eædem Regulæ continent, obligationibus adiguntur. Neutrum horum, in Ordine noſtro reperio; utpote cujus Profeſsores S. Legiſlator vult obedire: *Non ſicut ſervos ſub lege, ſed ſicut liberos ſub gratia conſtitutos*, quosque à Superioribus *non timore, ſed amore, non poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente* vult dirigi, prout expreſſis, his cautum voluit verbis: *ipſe verò, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente felicem*, Et paulo inferius. *Plus à vobis amari appetat, quam timeri.* Deinde cõnſtans eſt probatiſſimorum Theologorum aſſertio, Regulam noſtram, ſub nulla, etiam veniali culpa, nos obligare, ut alibi ex inſtituto dicetur; ut adeò, Canonici noſtri, nec timore culpæ, nec ſeveritate pænæ, ſed ſolo honeſtatis, quæ in perfecta voluntatis ſuæ abnegatione, & ſubjectione relucet, amore, ad obediendum, Superioribus induci queant.

Habes

Habes jam Chariſſime,triplicem, eumque genuinum Ordinis noſtri Spiritum, quem præstereà compendioſo exemplo expreſſum, ob oculos, tibi ponit, S. Epiſcopus Vicelinus olim Eccleſiæ Bremenſis, ſub Auguſtini Regula Canonicus. Huic equidem Sancto Viro, usque adeò in uſu erat Sacra *Obedientia amoris affectu ſtipàta*; ut plerisque illius Eccleſiæ Canonicis, ſvaviſſimum obedientiæ jugum excutientibus, ipſe, nullâ jam neceſſitate exteriore compulſus, ſed ſolo in eam virtutem amore roboratus, in Regulari obſervantia perſtiterit, ac in eum finem cum Beatis Thietmaro, Volkero, & alijs illius Eccleſiæ Canonicis, in villam quandam, ſub obedientia perpetuò victurus ſeceſſerit. Ut autem & *Devotioni Exemplari*, pro exigentia Spiritûs Canonici commodiùs inſiſteret, Capellam ligneam, Divinîs laudibus diù, noctuque cum ſuis Canonicis concinendis, ex conceſſione Bremenſis Archi-Epiſcopi, in poſſeſſionem recepit; atque ut completus undequâque foret Canonici Ordinis Spiritus, exinde indefeſsè in vinea Domini laborare, Barbaris, Sclavis-

visque in Halſatia demorantibus, Chriſtum evangelizare non deſtitit, dignus certè, qui, illius gentis Apoſtolus, in hanc usque diem audiat. Non incongruè, Viro huic Apoſtolico, omnibuſque aliis, juxta triplicem Canonici Ordinis Spiritum degentibus, illud *Ezech*: 1. applicavero. *Ubi erat impetus Spiritûs, illuc gradiebantur*, quò videlicet eum impellebat Spiritus Ordinis, quem profitebatur, Canonici, à teneris annis in ejus animo radicatus, illuc omne illius ſtudium, omnis illius actio dirigebatur. O radicetur in te quoque Chariſſime! triplex hic Spiritus, ſcilicet: *Devotio Exemplaris, Charitas obſequioſa*, & *obedientia amoris affectu ſtipata*; hic enim te, poſthac, non niſi ad actiones ſummè laudabiles, ac Inſtituto noſtro maximè conformes inflammabit, tandemque de eo verificabitur, quod de Divino Spiritu, dudum veriſſimè, cecinit Regius Pſaltes: *Spiritus tuus bonus, deducet te in terram rectam*. Terram videlicet promiſſionis, hoc eſt æternæ Beatitudinis, quam infallibiliter conſequeris, ſi triplici hoc Spiritu, mentem tuam, à primis Religioſæ vitæ initijs ſedulò imbuere ſtudueris.

CONSI-

CONSIDERATIO I.

De Fine Vocationis Religiosæ.

REGULA.

Hæc sunt, quæ, ut observetis præcipimus. Primum, propter quod in unum estis congregati. Cap. 1.

Considera: 1. QUod Christus Dominus noster finem, cur in mundum venerit, semper præ oculis habuerit, eumque nobis multoties indicârit, dicens: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, Redemptionem pro multis.* Matth. 20. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Joannis 6. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est.* Joanis 9. *&c.* Ut, & nos, juxta præceptum Sancti Patris nostri, præ omnibus semper finem vocationis nostræ ad Religionem, & quare nos DEUS ex gratuita sua gratia in unum congregârit, seriò perpenderemus, nimirum: *ut unanimes habitemus in domo Domini, & sit nobis anima una, & cor unum*

in DEO. Jd eſt: in hoc ſimus unius voluntatis, unius animi, & unius intentionis; ut ſerviamus DEO, omnia operá noſtra cum puriſſima intentione, & omni diligentia, integrè, devotè, & reverenter in conſpectu ejus faciendo; ut DEUM diligamus ex toto corde, anima, mente, & omnibus viribus, jugiter ei per pios affectus inhærendo, & ad hoc unum, nos invicem adjuvando & incitando. Vide, an & quomodo hactenus, hunc finem præ oculis habueris, & ſecundum illum vixeris?

Conſidera: 2. Nos in unum congregatos eſſe,ut ad normã vitæ Apoſtolicæ vivamus,& ſerviamus Deo absq; proprio in paupertate, caſtitate, & obedientia, quarum virtutum, teſte Vincentio Caraffa Soc: JESU, hic proprius effectus eſt, quod erigant, ac ſublevent animam ad ſummum perfectionis gradum, eamque indiſsolubili immobilique nexu uniant primæ ſanctitatis Jdeæ, Chriſto Crucifixo, nos eidem Cruci cum Chriſto affigant, efficiantque Crucifixos vivos, quibus mundus crucifixus eſt, & ipſi mundo; pedes namque terrenorum affectuum affiguntur voto paupertatis, manus

fini-

ſiniſtra voluptatum carnalium ſuffigitur voto caſtitatis; dextera honoris vani, & mundani, voto obedientiæ. Deponamus igitur, non jam ad pedes Apoſtolorum, ſed ipſius Chriſti Crucifixi, omnes theſauros, & divitias hujus mundi: omnes honores & dignitates, omnes delicias, & voluptates, & cum Apoſtolo arbitremur omnia, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciamus, ad DEUM ex intimo cordis jugiter aſpirando, & orando, ut nobis det Spiritum pauperem, Spiritum caſtum, Spiritum obtemperantem, ac perfectam in Divina gratia fiduciam, & de nobis ipſis diffidentiam. Vide ergo, an hactenus, ita vixeris, aut certè, deinceps vivere velis?

Conſidera: 3. Nos in unum eſſe congregatos, non, ut uno ſolum veſtis genere induamur; in una menſa comedamus; in uno Choro ad orandum conveniamus, & in exterioribus omnibus adunemur: Sed ut quemadmodum, hîc unum ſimus corde & Spiritu, invícem nos, in Domino diligentes, & DEO in omnibus fideliter ſervientes, ita etiam illic in illo Regno beatitudinis, in quo

pax ſumma eſt, DEUM laudemus, eoque æternaliter Beati fruamur. Vocatio enim ad Religionem, eſt vocatio ad Regnum, ad gloriam, ad ſummum bonum; hic quippe eſt terminus, in quem reſpexit DEUS. Neque Chriſtus vocat Electos ſuos ad Crucem, ut in ea permaneant, ſed ut tranſeant per eam, ſicut & ipſe tranſivit, & ſic intrent in gaudium, quod non auferetur ab eis. Eſt itaque Vocatio ad ſtatum Religioſum donum præſtantiſſimum, ob quod, nos DEO ſemper gratos eſſe oportet, non verbô, & lingvâ ſolum, ſed potiùs opere & veritate, obſervando omnes Regulas, quæ ſunt Inſtrumenta Providentiæ Divinæ, quibus nos gubernat, & per eos nos DEUS vult ducere ad Regnum ſuum. Jdeo S, Bernardus nominat Regulam Scalam Jacob; quia ſicut huic Patriarchæ, quod propter amorem DEI deſeruerat Patriam, Parentes, propriamque voluntatem; Dominus DEUS per hanc ſcalam monſtravit Cælum apertum, Angelos deſcendentes, & aſcendentes, ac ſe ipſum ſcalæ innixum. Jta Religioſus mediante obſervantia Regulari,

loco

loco Patriæ, Parentum, propriæque voluntatis recipit Cælum, Angelos, & ipſummet DEUM. Et hoc eſt fundamentum veræ lætitiæ Religioſi, quod DEUS ex infinita ſua bonitate præ tot mille mundi hominibus, ipſum ad tam felicem, beatumque Statum vocavit. Sed quomodo tu hactenus hoc DEI Beneficium æſtimâſti? Aut ſaltem impoſterum æſtimabis?

CONSIDERATIO II.

De Felicitate Vocationis Religioſæ, & Concordia in Bono.

REGULA.

Unanimes habitetis in Domo Domini, & ſit vobis anima una, & Cor unum, in DEO. Cap: 1.

Conſidera: 1. Religionem eſſe arcem munitiſſimā, cujus muri, & propugnacula ſunt Regulæ, quæ nos indemnes contegunt, & defendunt, atque ab omni inimicorum noſtrorum diabo-

diaboli, mundi, & carnis violentiâ securos reddunt. *Si enim volueris servare mandata* (& Regulas) *conservabunt te* ait Spiritus Sanctus *Eccl:* 15. Oportet autem omnes Regulas servare; quemadmodum enim non prodest Civitati magnis, & fortibus muris communitam & cinctam esse, si vel unicum posticum apertum habet, quò facilè hostis ingredi valeat; sic non prodest præter unam, omnes servare Regulas, si in me inimicus ingredi, & animam perdere potest. *Venit*, ait supremus noster Belli Dux Christus Dominus Joan: 14. *Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* Hoc est: nihil habet, nullus patuit illi ingressus in me. Hinc adhortatur nos Apostolus Petrus. 1. 5. *Vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, cui resistite fortes.* Exacta nimirum observatione etiam minimarum Regularum, quam obtinebimus continuâ nostri mortificatione, ad exemplum S. Pauli de se ipso dicentis. 1. Cor: 9. *Sic pugno, non quasi àërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo.*

Unde

Unde & nos ad ſimilem pugnam excitat 2. Tim: 2. *Labora ſicut bonus miles Chriſti JESU, nam non coronabitur, niſi legitimè certaverit.* Et S. Laurentius Juſtin: cap. 7. de diſcipl: mon: illius Cæleſtis Civitatis, inquit, iſte eſt introitus, iſte nempè eſt locus, de quo ait S. Jacob: Verè non eſt hic aliud, niſi Domus Dei, & porta cæli. Qui hic viriliter & perſeveranter certaverit, coronabitur illic glorioſè: ambo caſtra Dei, ambo ſedes Sapientiæ, ambo Sanctorum civitates, qui in hac laudabiliter converſatus fuerit, ab illa excludi non poterit. Vide nunc quomodo bonum certamen certare velis, ut triumphato diabolo, mundo, & carne, gloria & honore coronari merearis in cælo?

Conſidera: 2. Arcis hujus fortiſſimæ, ſive Religionis ſupra firmam petram ædificatæ præſtantiam, & felicitatem, in qua ſecundum S. Bernardum: *Homo vivit purius,* Imprimis ob puritatem intentionis, quâ omnia facit ad gloriam Dei, & animæ ſalutem. Deinde ob puritatem à peccatis mortalibus, quæ ſola animam verè impuram faciunt: quia

boni

boni Religiosi mallent mori, quam peccare scienter mortaliter. *Cadit rariùs.* Quia nititur baculo obedientiæ, dirigitur à Regula, & tenetur majorum Institutis, & exemplis probatissimis. *Surgit velocius* 1. adjutus Sacris Meditationibus, Lectionibus, examinibus; & inspirationibus. 2. quia lapsus ejus ordinariè non sunt nisi veniales, qui multîs modîs expiari queunt; oratione dominicâ, aquâ benedictâ, tunsione pectoris, Confessione generali, gemitu, actu ferventi charitatis &c. *Incedit cautius*, ob præsentiam Dei, cui in omnibus placere desiderat. Deinde, quia Religiosa disciplina non sinit quemquam impunè peccare: & sunt, quando opus est, & admonitiones & reprehensiones. *Irroratur frequentiùs*, gratiâ Spiritûs Sancti, quam ex Sacris Meditationibus, aliisque pijs exercitijs copiosiùs haurit, *Quiescit securiùs* 1. Expers omnis curæ rerum ad victum vel amictum necessarium. 2. Ob singularem Dei custodiam, & internas consolationes, quas ex die, fructuosè, & in Dei servitio, consumpto sentit. *Moritur confidentiùs.* Ob testimoni-

monium bonæ conſcientiæ, vitam religiosè peractam, & auxilium Fratrum circumſtantium &c. *Purgatur citiùs in hac vita*; ob frequentatos actus contritionis, ſinceras confeſſiones, lucratas indulgentias, renovationem votorum. *Poſt mortem verò*. Ob crebriora & efficaciora fratrum, & aliorum ſuffragia &c. *Remuneratur copioſiùs*: Ob tot victorias de adverſarijs, mundo, carne, diabolo reportatas, & quia, etiam opera ex ſe indifferentia, propter obedientiam, & ex amore Dei facta, omnia ei cooperantur in bonū. Vide ergo, quomodo fælicitatē vocationis tuæ agnoveris, & DEO ob eam te gratum exhibueris? aut ſaltem, quomodo impoſterum hæc præſtare, & obſervationem Regularum magni pendere velis?

Conſidera: 5. Quemadmodum non ſufficit civitatem aliquam, aut arcem fortibus propugnaculis eſſe circumvallatam, niſi & milites, & cives, ſimul ſint unanimes, & concordes; ſic non ſufficit, nos eſſe in unum congregatos, niſi & ipſi habeamus animam unam, & cor unum in DEO. Sunt enim nonnulli

ſubin-

ſubinde in Religione, qui, ſicut ipſi tenent aliquas hoſtium partes, ita & alios ſibi attrahere, & conjungere ſtudent, ut ſecum conveniant in ijs, quæ ſunt mundi & carnis. Tales nimirum ſunt, qui horrent mortificationes, quærunt carnis commoda; amant libertatem; nullam ſuſtinent diſciplinam, diſcordias ſeminare non erubeſcunt, & facilè contra Superiorum conſtitutiones, & reſtrictiones murmurant: cum quibus cor unum habere, non eſt in DEO, ſed contra Deum: ſiquidem per tales florentiſſimæ etiam communitates everti poſſunt. Jdeo S. P. Auguſtinus: *Sicut, inquit, multum nos contriſtat diſcordia inter bonos, ita valde dolendum eſt, quando pax eſt inter malos.* Tunc enim augentur omnia peſſima, quæ fieri & excogitari inter homines poſſunt. Et S. Gregorius: *Perniciosum eſt, ſi deſit unitas bonis, quia ex contraria malorum unitate ſequitur* 1. *Incorrigibilitas*, qui enim diviſi corrigi poterant, iniquitatum ſuarū pertinacia uniti durant. 2. *Audacia in malitia*: Impetum fecerunt unanimiter in eum Act. 7. Quia unitas perver-

perverſos roborat. 3. *Durior perſecutio bonorum.* Reproborum enim unitas, bonorum vitam tantò durius premit, quantò ſe ei per collectionem opponit. Ita S. Gregorius: *Iſta unitas in DEO non eſt, ſed potiùs contra DEUM.* Unde volenti ſervare mandatum de unitate cordis in DEO, providendum eſt, inquit Humbertus, nè conveniat cum alijs in malo! ne diſcedat ab alijs in bono; & ne conſentiat cum aliquo æquè in bono, atque in malo, ſed ſolum in iis, quæ DEI ſunt, & cum omnibus pacem habeat, exemplo illius, qui dicit Pſal: 119. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. Non enim eſt magnum,* inquit Thom: Kemp: lib: 2. cap: 3. *Cum bonis & manſuetis converſari, hoc enim omnibus naturaliter placet, ſed cum duris & perverſis, aut indiſciplinatis, aut nobis contrariantibus pacificè poſſe vivere, magna gratia eſt, & laudabile nimis virileque factum.* Vide igitur, monet Hugo: ut ſicut corpore ſeparamur à ſæculo, ita & corde, & animo, jungamur DEO, & in DEO, proximo noſtro.

CONSIDERATIO III.

De Paupertate Religiosâ.

REGULA.

Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Cap. 1.

Considera: 1. PAupertatem Evangelicam, quâ Religiosus, propter DEI amorem, & spem vitæ æternæ, omnia reliquit, omnibus virtutibus eminere, & esse, ut, Ambrosius loquitur lib: 5. in Luc: Ordine primam, & quasi aliarum virtutum Parentem. Quia hominem Religiosum totum interius, & exterius ordinat; ponit enim circa res externas primò in intellectu veram, qualem Deus habet illarum rerum æstimationē, ostenditque verè esse caducas, viles, noxias. Secundo in affectu contemptum, & fastidium. Denique in opere plenam abdicationem. Ideo Christus in summa egestate nasci, totâ vitâ plurima incommoda, famem, sitim, frigus, defatigationes &c. pati, & tandem in funesta Cruce nudus, ac rebus omnibus spoliatus mori

mori voluit, ut ſic everteret Regnum mundi, quod præcipuè conſiſtit in affectu nimio divitiarum, nosque doceret in ijs non conſiſtere beatitudinem, ſed potius eam acquiri per contemptum omnium opum terrenarum. Ut enim Beati ſuâ gloriâ omnes contenti in cælo vivunt, ſic Religioſus ſolo victu & amictu modico contentus degit in terra. Jlle ergo ad exemplum Chriſti verus eſt pauper, qui ſitit omnem nuditatem, & incommoditatem, & ſola neceſſitate, & Dei voluntate compulſus ad temporalia accipienda ſe demittit, non diſcernit inter cibum, veſtem, cellam &c. quæ meliora, commodiora, utiliora, dummodo famem pellant, contegant, & habitandi locum præbeant. Vide! an talis ſit tua paupertas.

Conſidera. 2. Veros Spiritu pauperes debere animum habere excelſum, quo ſuper omnia terrena emineant, ut vix verbulo quid ſuum dicere velint, cum omnia aliena & fluxa eſſe ſciant: *Non habemus hic civitatem permanentem, ſed futuram inquirimus*; ait Apoſtolus Hebr: 13. Jdeo, omnia bona mundi ſanctâ qua-

quadam ſuperbiâ contemnere debemus, ut cum Propheta dicere poſſimus, Thren: 3. *Pars mea DEUS, dixit anima mea, propterea expectabo eum.* Et cum Pſalte Regio Pſ: 141. *Portio mea in terra viventium. Dat DEUS portionem in terra viventium*, ait S. P. N. in hunc locum: *Sed non aliquid à ſe extra ſe. Quid dabit amanti ſe, niſi ſe; certum eſt, uti nihil prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, DEI verò ſui detrimentum patiatur, ſic nihil ei obeſt, ſi totum mundum perdat, dum tamen Chriſtum lucrifaciat.* Hinc S. Apoſtolus ad Phil 3. quæ mihi, inquit, fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum, propter Chriſtum detrimenta, verumtamen exiſtimo omnia detrimenta, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucri faciam. Ideo ipſe DEUS conſolatur Abrahamum, dicens: Gen: 15. *Noli timere Abraham, ego Protector tuus ſum, & merces tua magna nimis, Ego ipſe ſum, ut poſſis dicere, pars mea DEUS in æternum.* Unde S.P.N. in Pſ: 72. *aurum* inquit, *& ſi ſemper habebo? DEUM & ſi ſemper haberem, quam magnum bonum haberem? quid eſt fratres invenimus divitias no-*

ſtras, eligat ſibi partes genus humanum, clamet Populus DEI! Pars mea DEUS meus! tantum habebo, & nunquam non habebo, magna felicitas pars mea DEUS. Quamdiu? in ſæcula. Hæc S. Pater. Vide, utrum hâc parte contentus eſſe velis.

Conſidera: 3. Perfectionem paupertatis, conſiſtere in quinque expropriationibus, juxta Vincent: Caraff: de Perf: Vot: Cap: 3. *Prima* eſt expropriatio dominij, quod eſt; *jus diſponendi de re ad libitum independenter à voluntate Superioris*; unde non poſſumus quidquam donare, nec alienare, vel dare, aut recipere, ſub quocunque prætextu, vel titulo donationis, mutui &c. abſque Superioris licentia, nec quidquam Superiorem celare, nec eum impedire poſſumus, ut deſuper non diſponat. Unde dicit S. P.N. cap 6. Reg: *Quod ſi aliquis rem ſibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur. Secunda* eſt expropriatio *uſûs proprietatis.* Non enim habet Religioſus uſum juris, ſed tantum uſum facti, eſt purus uſuarius; qui nulla re uti, & hanc nonniſi in uſum à Superiore ſibi conceſſum applicare poteſt. *Tertia* eſt

expro-

expropriatio *usùs superflui*. Nihil superflui ei concedatur, nihil necessarium denegetur, ordinat Concil: Trident: & S. P. N. Cap: 1. *Distribuatur*, ait, *cuique vestrum à Præposito vestro victus, & tegumentum: Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs unicuique, sicut cuique opus fuerit.* Hinc ulterius præcipit. Cap: 6. *Ut si quis nobis in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur.* *Quarta* est expropriatio *certi alicujus necessarij*. Necessarium enim non debet esse certum, ita, ut sæpenumero desit, & ostenditur cum experientia effectus aliquis paupertatis. Pauperes esse volumus, ait S. Bernardus, modo nihil nobis desit. Scio abundare, & penuriam pati, inquit Apost: ad Phil: 4. & 2. Cor: 11. *In labore, & ærumna, in fame; & siti in frigore & nuditate.* *Quinta* est expropriatio *affectûs*. Ad perfectionem enim paupertatis requiritur, ut nos prorsus expoliemus,

mus, omni rerum neceſſariarum affectu. Quemadmodum ſtatua, dicebat S. Jgnat: Loj: nullum prorſus habet affectum ad veſtem, ſivè ſit nova, ſive trita, & antiqua. *Alioquin*, ut benè advertit Caſſianus, *non eſt abſcindere paſſionem, ſed immutare à pretioſis rebus ad vilia.* Et S. P. N. adducit in ſpecie ſignum aliquod, quô quando hujuſmodi adſit affectus, cognoſcatur. *ſignum eſt, inquit, dolor. Si cum dolore diſcedit, quod cum amore aderat.* Si quotiescunque, Superior nos privat nonnullîs veſtibûs, librîs, cubiculô *&c.* mærore, & triſtitia corripimur, ſignum eſt, ijſdem nos apposuiſſe affectum noſtrum. Vide nunc, an & contra quam ex his expropriationibus hactenus peccâris, & quomodo deinceps has expropriationes amore, & exemplo illius, qui, ut, ait Apoſtolus: *cum dives eſſet, factus eſt pro nobis egenus,* amplecti velis?

CONSIDERATIO IV.

De Mundi Contemptu.

REGULA.

Surſum cor habeant, & terrena ac vana non quærant. Cap: 1.

Conſidera: 1. Quod cor noſtrum ſurſum habere debeamus, quia, ſicut nulla res naturalis quieſcere poteſt, donec locum, finemquè ſuum naturalem obtineat; ita cor noſtrum tamdiu quietem ſibi polliceri non poteſt, donec in fine ſuo ultimo, qui ſolus DEUS eſt, quieſcat. Hinc recte S. P. N. Augus: Lib: 1. confeſs dixit: *Feciſti nos Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Anima quippe rationalis*, ait S. Bernardus, *ad imaginem Dei facta cæteris rebus occupari poteſt, impleri non poteſt*; capacem namque DEI, quidquid DEO minus eſt, non implebit; valent quidem hominis famem provocare, & excitare, neutiquam tamen cor ſatiare. *Quia*, ut ait S. Bernardus; *non ſunt naturales, & proportionati animæ*

cibi.

cibi. Hinc ſuſpirat S.P.N. ad cap: 3. *Sol: Da quod peto, quoniam ſi cuncta, quæ feciſti, mihi deneris, non ſufficit ſervo tuo, niſi te ipſum dederis.* & L. 1. Confeſ: cap: 16. *Væ animæ audaci, quæ ſperavit, ſi à te receſſit, aliquid ſe melius habituram verſa & reverſa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu ſolus Domine, requies.* Quam vera ſit hæc doctrina, quamque frequentibus multorum, & Salomonis maximè, experientîjs comprobata, ex hoc ſolo colligere potes: Si enim ille, qui omnia, quæ deſideraverunt oculi ejus, non eis negavit, nec cor ſuum prohibuit, quin omni voluptate fueretur, adeò tamen, his rebus ſatiatus non eſt, ut fateri coactus ſit: *vidiſſe ſe in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.* Eccle: 2. Quanto minùs requies ſperari poterit à nobis, qui né milleſimam quidem eorum bonorum partem percipere poſſumus. Jdeo veriſſimè S. Baſilius in hæc Pſaltis verba: *Exultate iuſti in Domino*, ſcribens *non ait*, inquit, *Propheta, exultate in abundantia rerum temporalium, non quòd habili*

ingeniô, singulari scientiâ, alijsque naturæ dotibus instructi; non quod optima sitis corporis valetudine; non quod Herculeîs polleatis viribûs, non, quod ab hominibus magnifiatis, aut illustre nomen apud eos obtineatis, sed exultate in Domino; id est omne vestrum gaudium in Deo, & sanctissimæ voluntatis ejus adimpletione constituite. Hæc enim sola satiat; reliqua omnia nec satiare, nec mentem explere valent, nec verum gaudium adferre. An non igitur omnia, quæ à finis centrique nostri consecutione impediunt, cum summa violentia removebimus?

Considera: 2. Quod cor nostrum sursum habere, illudque ab omnibus abstrahere debeamus, nisi ulterius decipi velimus, toties iam delusi, & decepti: Quem enim fructum retulimus ab amore hujus, vel illius creaturæ? omnes illæ voluptates, quas nunc hic, nunc illîc decerpsimus, quid reliquerunt, nisi cordis amarorem, & occultas anxietates? Unde istud, nisi quod animus ad finem, centrumque suum anhelat, expectat DEI visionem, & fruitionem. Bene igitur, qui dixit: *Mihi autem adhærere*

DEO

DEO bonum eſt Pſalm: 72. ſuper quæ verba S. P. noſter ait: *Hoc eſt totum Bonum, vultis amplius? doleo volentes, fratres. quid vultis amplius? DEO adhærere nihil eſt melius, quando videbimus facie ad faciem.* Et Thom: Kemp: cap: 1. ſol: *O Breve & dulce verbum! DEUM amplectens, & mundum excludens univerſum? Quid amplius dicendum, & quid ultra cupiendum? nonne ſatis eſt, ſi fiat quod iam dictum eſt? O DEUS meus tu unicum bonum meum, ſolus bonus, ſolus dulcis, de te loqui, dulce eſt amanti, de te cogitare, & propter te omnia facere, & pati ſvave eſt devoto, cujus cor non eſt in mundo, ſed tecum abſconditum in cælo, DEUS meus, quomodo eſt illi in corde, qui tuo fervet amore Quale gaudium ejus, quem nulla delectat creaturarum vanitas!* an non vox eius canit in pſalmo: *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Si igitur quid eſt, quod inordinatè voluiſti, tu illud amore DEI relinque, eligens magis cum Chriſto amara, quàm dulcia, penuriam magis, quàm abundantiam, deſpectum magis, quàm honorem. ſolitudinem magis, quàm

quàm frequentiam hominum, ut cor tuum sursum habere, Deoque adhærere possis.

Considera: 3. Cor nostrum sursum ad cælum habendum; quia ibi est, quidquid desiderare possumus. *Cur per multa vagaris homuncio,* te alloquitur S. P. N. man: c. 34. *quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est, nemo enim bonus nisi solus DEUS.* Nam sicut aquæ omnes, inquit Tob: Lohner S. J. non aliam habent substantiam, nisi quam ex fonte acceperunt, ita nec Creaturæ aliam habent bonitatem, nisi quam à DEO acceperunt, & in ordine ad DEUM conservant. *Quid ergo amas caro mea,* inquit ulterius S. P. N. *quid desideras anima mea? Ibi est, quidquid desideras, si delectat pulchritudo? fulgebunt Justi sicut sol, si velocitas aut fortitudo, aut libertas Corporis, cui nihil obsistere poterit? erunt similes Angelis DEI: Si longa & salubris vita? ibi erit sana æternitas, & æterna sanitas. Si satietas; satiabuntur; cum apparuerit gloria Domini. Si e-*

brietas: inebriabuntur ab ubertate domûs DEI: Si melodia, ibi Angeli concinunt ſine fine DEO. Si quælibet non immunda, ſed munda voluptas, torrente voluptatis ſuæ potabit eos Dominus, Si Sapientia: ipſa DEI Sapientia oſtendet eis ſeipſam ſapientiam. Si amicitia; diligent DEUM, plus, quàm ſe ipſos, & invicem, tanquam ſe ipſos. Si poteſtas, Omnipotentes erunt ſuæ voluntatis, ut DEUS ſuæ. Si honor & divitiæ, DEUS ſervos ſuos bonos, & fideles ſuper multa bona conſtituet, imo Filii DEI, & Dij vocabuntur, & erunt hæredes DEI, cohæredes autem Chriſti. O! igitur anima inſignita DEI imagine, redempta Chriſti Sanguine, & deſponſata DEO in fide, & Charitate; ſurge, relinque terrena ac vana, & aſcende ad Civitatem ſupernam. de qua glorioſa dicta ſunt. *Anima enim,* ait S. P. N. cap: 24. man: *quæ amat, aſcendit frequenter, & currit familiariter per plateas Cæleſtis Jeruſalem, viſitando Patriarchas, & Prophetas, ſalutando Apoſtolos, admirando exercitus Martyrum, & Confeſſorum, Choroſque Virginum ſpeculando. Cælum, & terra, & omnia, quæ*

in eis sunt, non cessant mihi dicere, ut amem DEUM meum. Et cap: 28. loquitur in quo *Amor DEI est, ille semper habet cor suum, & desiderium in superna elevatum, quando sedet, quando ambulat, quando quiescit, vel quando aliquid agit, cor à DEO non recedit. Omnes ad amorem DEI exhortatur, omnibus amorem DEI commendat, & quàm dulcis sit DEI amor, & quam malus, & quàm amarus sit amor sæculi, corde, ore, & opere omnibus demonstrat.* Vide, an & tu, cor tuum ad exemplum S. P. N. sursum habeas, aut saltem deinceps habere velis?

CONSIDERATIO V.

De Vitanda Superbia, & sectanda humilitate.

REGULA.

Superbia, etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant. Cap: 1.

Considera: 1. Quemadmodum humilitas fundamentum est omnium virtutum: Sic superbia origo est omnium

mnium vitiorum. Ex Superbia enim prodeunt, ambitio, temeritas, hypocrisis, obstinatio, proprij judicij tenacitas, iracundia, vindicta, vana gloria, & non rarò libido, quia DEUS animum superbi per corpus deprimit, permittitque; ut ad suam confusionem in defectus graves labatur, ut adeò merito hoc vitium à Spiritu Sancto dicatur oculis DEI abominandum: *Abominatio Domini*, ait Prov: 16. *Est omnis arrogantia*: ideo DEUS punit, & persequitur superbum; eum privat suis gratijs & favoribus, atque consilijs eius se opponit, quia, etiam ipse DEI consilijs adversatur. Sicut igitur sine humilitate virtutes, & bona opera evadunt periculosa, imo & perniciosa: ita & cum humilitate ipsa vitia, & peccata cessant esse perniciosa & fiunt non raro utilia. Erat Publicanus miser & magnus peccator; at quia humilis, ita, ut oculos cælum versus erigere, & ad altare accedere vereatur, ob id Sanctus evadit, & ipsiusmet DEI eloquium meretur. Pharisæus è contra, quia virtutes suas iactat, & cuncta bona opera in publicum protrahit; si pri-

ùs iuſtus erat, ubi ſuperbit, ſibique applaudit, peccator evadit, & à DEO cum bonis ſuis operibus reprobatur. Cùm itaque humilitas, ex vitiis virtutes proferre, & ex ſcelerato in momento Sanctum efficere, ſuperbia vero Virtutes in vitia convertere, & ex juſto, magnum peccatorem facere poſſit, quis non omni modo ſuperbiam deteſtetur, & humilitatem amplexetur, cùm ipſe DEUS, noſtram perfectionem, & ſalutem ex humilitate noſtra pendere voluerit, & non ex noſtra exaltatione, ſiquidem non omnes aſcendere, noſque evehere: benè autem deſcendere, & nos omnes deprimere poſſumus. Non omnes grandia pro DEO præſtare, nec grande quid, ad ejus gloriam audere poſſumus. Verum nullus eſt, qui ſe deprimere non poſſit. Non ſemper poſſumus omnia bona, quæ volumus agere, poſſumus tamen ob defectũ boni alicuius, nos coram DEO ſubmiſsè gerendo, bonum illud, quod non agimus, ſupplere. Non poſſumus ſemper orare, ſemper iejunare, ſemper plorare &c. Sed humiliare nos ſemper poſſumus. Cùm ergo ſuperbia-

odi-

odibilis ſit coram DEO & hominibus *Eccle:* 10. noſque bonis omnibûs privet: è contra humilitas, via brevis, ac tuta ſit ad ſanctitatem: Vide quomodo illam deteſtari, & fugere, hanc vero amplecti, & ſequi velis.

Conſidera: 2. ſuperbum & vanæ gloriæ deditũ, bona opera ſua, & Spiritualia ſtudia inflectere ad captandã laudẽ hominũ, & in omnibus velle exaltari, magnum & excellentem apparere, cùm tamen nihil ſit, niſi pelagus vanarum cupiditatum, fons peccatorum, vas vacuum, aut vas contumeliæ, quod tot, ac tanta implevêre peccata Si verò DEUS evacuatis delictîs, illum ſuis donis replevit, & vas in honorem effecit, non eſt, cur de alieno ſe iactet, & non omnem gloriam benefactori ſuo adſcribat. Jpſe enim eſt, qui nos, quando non eramus, Omnipotentiâ ſuâ creavit, & quando longè errabamus, nos in viam rectam reduxit. Jpſe nos, quando cecidimus, ſublevavit, quando ſtabamus, nos tenuit. Quando deſperabamus, nobis animum addidit, & quando veniebamus, nos recepit: ipſi ergo ſoli omnis honor

&

& gloria: Quia irrefragabilis veritas eſt, licet opus noſtrum habeat in ſe ornatum, & ſvavitatem omnium virtutum in ſpeciem, ſi tamen non puram DEI gloriam ſpectemus, ſed noſtram apud homines quæramus laudem, DEO non placemus, ſed potius indignationem ejus incurrimus, quia DEO debitum honorem ſuum furamur, nobiſque illum injuſtè vendicamus. Hoc præfiguravit DEUS in lege veteri, in incenſo dicto Thymiama, quod debebat adoleri, & offerri ſoli DEO, & DEUS prohibuit ſub pæna mortis, ne tali odore homo ſe oblectaret. *Homo*, ait: Exod: 30. *Quicunque fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populo.* Si tantum crimen erat, talem compoſitionem materialem facere ad ſe oblectandum, idque quia Sanctum erat Domino, quantum erit ex ipſis donis DEI, & ex operibus bonis, ad quæ facienda DEUS ſingulares dat gratias, & vult ſibi ex aſſe conſecrari, laudem captare, & gloriam, & velle ob ea magnifieri, æſtimari, laudari? Stultus igitur dicendus eſt; quiſquis vanam gloriam appetit: *Qui*

enim

enim, inquit S. Creg: *pro Virtute, quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat & unde* Cæli Regnum mereri potuit, inde nummum transitorij sermonis quærit. Vide ergo, an & quomodo hactenus superbiam, & vanam gloriam fugeris, aut saltem deinceps fugere velis? *Gloriam enim meam*, inquit DEUS Jsa: 42. *alteri non dabo.* Jdeo frequenter dicito DEO cum Propheta, in occasionibus, quæ inanem gloriam inspirare possunt. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Considera: 3. Superbiam, & inanem gloriam esse insidiatorem & spoliatorem bonorum operum, & meritorum nostrorum. Jta S.P.N. Augustinus, & S. Basilius *Const mon*: *cap*: 21. ait: inanis gloria, est dulcis Spiritualium operum expoliatrix, iucundus animarum hostis; blandissima bonorum nostrorum deprædatrix &c. Jdeo necesse est, ut bona nostra abscondamus, adhortatore S. Bonaventura, qui fer: 2. Pasch: ita ait: *Thesauri virtutum in arca cordis claudendi sunt, serâ humilitatis.* Hanc seram

imi-

imitando acquire à Filio fabri JESU Christo, qui cum in forma DEI esset *&c.* semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & humiliavit se omnibus creaturis subjiciendo. Subjecit enim se, imprimis Angelis; quid enim opus erat, ut veniret Angelus ad confortandũ ipsum? Quid opus fuit dici: Angelorum legiones posse ipsum vindicare, & resistere comprehensoribus suis, quasi ipse non posset? Jeiunus & famelicus & post 40. dies, & noctes, quid opus erat, ut acciperet cibum, velut eleemosynam ab Angelis, cum ipse posset lapides in panes convertere? *2do.* Humiliavit se hominibus, non solum SS. Matri, & Nutritio Josepho, sed etiam impiissimis Principibus, Cæsari, Herodi, Annæ Caiphæ & Pilato, eorum iniusta mandata implendo, & iudicijs parendo. *3tio.* Humiliavit se omnibus creaturis, patiens in se sævire frigus, æstus, spinas, sputa *&c.* *4to.* Subiecit se ipsis dæmonibus, siquidem erat traditus in hora passionis potestati tenebrarum, & passus est se à diabolo duci super pinnaculum templi. Unde meritò nobis in-

cla-

clamat: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*; ora igitur cum S. P. N. Augu: medit: Cap: 1. *Creator meus evelle à me animi rancorem, & largire mihi mitis dulcedinem; Redemptor meus expelle à me Spiritum superbiæ, & concede propitius thesaurum humilitatis tuæ.* Ut nunquam desideres ab aliis æstimari, honorari, laudari, anteferri, sed omnē honorē & laudem in DEUM transferre, & te, omnium semper minimum, omnibûs DEI donîs indignum & ad nova recipienda ineptum reputare. Talem enim te sine ulla falsitate æstimare potes; quia secundum ea, quæ ex te habes, revera talis es. Expende tuam fragilitatem, vilitates, miserias, ingratitudinem, malitiam, peccatorum multitudinem tuorum; non aliorum, quæ ignoras, & illis te conforma. Vide, an & quomodo hoc præstiteris, aut saltem præstare velis?

CON-

CONSIDERATIO VI.

De honorando DEO in Fratribus.

REGULA.

Honorate in vobis invicem DEUM, cujus templa facti estis. Cap: 1.

Considera: 1. S. P. Augustinum, nobis in mandatis dare reciprocum honorem, & venerationem, quia cultus, quo servi DEI, se invicem complectuntur, in ipsum DEUM redundat: Honorate in vobis invicem Deum, in quem locum Humbertus; in honore ait, exhibito homini, honoratur DEUS, & quid honoratur, in homine quocunque, nisi imago DEI. Honor vero, qui exhibetur imagini, illi, cujus est imago potiùs exhibetur. Et S. Thomas, non debemus, inquit, solum DEUM revereri in se ipso, sed etiam id, quod est ejus, debemus revereri in quolibet, quia hujus reverentiæ principium, & radix, est reverentia, quam quis habet ad DEUM; ideo monet Apostolus, ut honore invicem præveniamus: *honore invicem præva-*

prævenientes. Rom 12. Hominis sanè superbi est, signa honoris ab alijs expectare, & illos ad honorem deferendum paratos, non magis prævenire. Cogita igitur Deum habitantem in omnibus, & humilitatem tuam in honorando fratres tuos ostende, non, ut, tu honoreris, sed, ut, in illis honores DEUM, eique placeas, cuius imagines, & templa facti sunt. *Honorate,* mandat S. P. N. *invicem DEUM, cujus templa facti estis.* In quē locum *Hubertus, sicut (inquit) honor, qui exhibetur templo, reputatur honor DEI, qui habitat in templo, quia unum est propter alterum,* ita *honorare fratrē, est honorare Deum in fratre, cujus est templum.* Verùm licet Doctor gentium omnes Christianos hoc titulo honorat, dum dixit: *nescitis, quia templum DEI estis, & Spiritus DEI habitat in vobis,* & rursum 2. Cor: *Vos estis Templum DEI vivi;* nihilominus tamen hoc ipsum peculiari titulo, sive, ut Humbertus loquitur, specialiter convenit Viris Religiosis, tanquàm ijs, qui certa quadam, & singulari ratione DEO in Templa sunt consecrati. Vide igitur, an, & quo ho-

nore hactenus fratres tuos proſecutus ſis ?

Conſidera: 2. Non abſque gravi cauſa S. P. N. nobis vitam in communi Societate degentibus, honorem reciprocum injungere, eò, quod ille mirificam vim habeat ad fraternum amorem excitandum, fovendum, conſervandum. Hinc S. Paulus doctrinam à fraterna dilectione exorſus, proprium nutrimentum ſubiicit honorem dicens: *Charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes*, ut ſic DEUS in nobis omnibus honorificetur. Quod facile evinces, ſi dona, & divitias DEI in fratribus perpendas, eoſque te meliores habeas. Hoc enim DEO perquam gratum eſt, ait S. Thomas, reputare in proximo aliquid boni eſſe, quod ipſe non habes, vel aliquid mali in te eſſe, ex quo potes, ei te ſubijcere, per humilitatem. Et S.P.N. *exiſtimate (inquit) in occulto Superiores, quibus eſtis in manifeſto meliores.* iuxta illud ad Phil: cap: 2. Superiores ſibi invicem arbitrantes. *Eſt enim grande malum*, ait S. Bernardus *horrendumque periculum, ſi vel uni tua*

cogi-

cogitatione te præferas. Quid si DEUS præferat tibi eum, cui tu te præfers? Quid si peccator ille percusso pectore, oculîs demissîs, ingemuerit, & apud DEUM sit absolutus, teque sit melior, tu verò deterior illo, quô, te meliorem esse putabas? Cape igitur consilium Christi, & recumbe in novissimo loco, omnesque te meliores, & honore digniores reputa. Dic cum Blosio: *Si de quopiam, qui parùm emendatîs moribus videatur, obrepit cogitatio, ut vel illi uni, te præferas, eique nullum honorem habeas. O Domine propitius esto mihi peccatori, ego vestigia illius servi tui exosculor, eum mihi præfero, meque eius, & omnium hominum pedibus conculcandum præbeo, indignus enim sum, quem terra sustineat.* Vide! quid in hac re feceris, aut saltem deinceps facere velis?

Considera: 3. Nos Deum magno honore afficere, si amore ipsius, Fratrũ nostrorũ defectus benignè sufferamus: eosque tam apud nosmet ipsos, quam apud alios excusemus, & omnia in melius interpretemur: *Alter alterius onera portate, & sic implebitis legem Christi.* ait Apo-

ſtolus. ad Gal: 6. Quare autem non feramus aliorum infirmitates, ipſi, defectus plurimos habentes, quos omnino volumus ab aliis taceri, excuſari, & tolerari. Elidamus igitur, omnes cogitationes, quæ aliena facta imminuunt, quandoquidem, ſuperbia ſincerum boni de alijs iudicij oculum eruit, vel claudit. Quiſquis, inquit S. Gregor: Superbiæ in ſe tyrannidem captivâ mente ſuſceperit, hoc primûm damnum patitur, quod clausô cordis oculô, judicij æquitatem perdit. Nam cuncta, quæ ab alijs benè geruntur, diſplicent, ſemper aliena opera deſpicit, ſemper miratur, quæ ipſe facit, & cùm ſe in cunctis tranſcendere cæteros æſtimat, per lata cogitationum ſpatia, ſecum deambulans, laudes ſuas tacitus clamat. Tu ſi ſapis cum Thom: Kemp: *de te ipſo nihil tene, de aliis verò benè ſemper, & altè ſenti: omnes fragiles ſumus, ſed tu, neminem fragiliorem, te ipſo tenebis.* Vide quid in hac parte feceris, aut ſaltem impoſterum facere velis?

ACTUS

ACTUS ELICIENDI.

Quando aliquod bonum proximi videmus, vel audimus. Ex Ludovico Palma.

Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.
Pſal: 118.

DOmine DEUS meus, cùm audio & video proximum meum, & particulariter N. tibi ſervire, & boni aliquid facere, vel moliri, gaudeo, & multum in hoc mihi complaceo, & bonum ipſiùs, quaſi meum reputo, & tanquam meum illud tibi offero, & dedico cum omnibus illís bonis, quæ omnes Sancti peregerunt olim, & peragunt adhuc, in univerſo mundo ad æternam gloriam tuam, perinde ac ſi ipſemet, ea feciſſem & facerem.

2. Ago tibi gratias Domine; pro bonis inſpirationibus, & auxilijs, quæ tam huic N. quam omnibus alijs tribuiſti; & tribuis ad benè operandum, & cogitandum. Neque aliter de hoc tibi gratias ago,

ago quam, ſi tale beneficium propriè fuiſſet exhibitum mihi.

3. Quin etiam inſinuo, & immitto me in proprium cor ipſius, & omnium famulorum, & famularum tuarum; ut ſimul cum eis ex corde perficiam omne illud, quod, ipſi in cultu, & obſequio tui faciunt, & deſiderant facere. Tu enim ſcis Domine, quod ego, idem omnino vellem præſtare, ſi tu à me idem fieri velles, & ad idem agendum, gratiam, vires, occaſionem, & facultatem dares; nullâ profecto me difficultate, nullo timore ab illo præſtando, me absterreri ſinerem.

4. Adauge verò Domine, enixè rogo, in illo bonam gratiam, & merita cum omni virtute, quantum ipſe, te inſpirante, deſiderat, aut te ſciente indiget, ut à quo tibi grata præſtantur obſequia; multo etiam gratiora, & perfectiori modo deferantur.

5. Denique quæſo Domine mi, ut quisquis viderit tale bonum, exemplô inflammatus, paria meditetur, & agere ſtudeat, ſecundum diſpoſitionem tuæ voluntatis, ad majus tuum obſequium, & gloriam Amen.

ACTUS

ACTUS ELICIENDI,

Cùm audimus, vel videmus aliquod malum proximi. Ex eodem.

In quo Judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Matth: 7.

1. MI perfectissime DEUS! cùm audio, & video, aliquod malum, maximè spirituale proximi mei, summopere compatior humanæ fragilitati; quamvis omnibus communi, & præcipuè compatior defectui hujus N. attamen non credo, tantum esse malum illud, quantum mihi videtur, vel dicitur: Imò, fortè nullum est, neque tale videtur lucidissimô oculô tuo, quale nostro fallaci. Si tamen Domine scrutator cordium nostrorum, est culpa aliqua, magnopere doleo de lapsu fratris mei, multò magis, autem de tua offensa.

2. Ego in vicem hujus defectus, & in compensationem tuæ offensæ, offero tibi pretiosum sangvinem JESU Christi Filij tui, tantopere humiliati, & attriti propter scelera nostra; Jllius charitatem,

tem, mansvetudinem, ac longanimitatem, inter continuos nostros defectus tibi repræsento.

3. Sed heu! & ego, id ipsum perpetravi vel in alio simili, te non minùs offendi. Proh dolor! & graviùs etiam te offenderem, nisi tua me gratia præservaret; unde etiam toto corde, gratias ago tibi pro auxilio, sine ullis meritis meis, mihi præstito.

4. Optimè scio, Domine, te ex quovis malo elicere posse majus bonum, aliàs malum non permitteres; cedat ergo ad majorem tuam gloriam defectus iste, ad majorem verò humilitatem, & cognitionem, sui ipsius, qui peccavit.

5. Oro denique, occlude omnium oculos, nè inde, sumant audaciam patrandi similia; liga lingvas, morsu conscientiæ, ne de re illa, malè loquantur, nevè, ex minore delicto, quod per humanam fragilitatem admissum est, per defectum Charitatis, & improbitatem humanam, plura alia nascantur.

CON-

CONSIDERATIO VII.

De Oratione Mentali.

REGULA.

Orationibus instate, horis, & temporibus constitutis. Cap. 2.

Considera: 1. QUod S. P. N. Augustinus, jubeat nos instare Orationibus, non solum vocalibus, sed etiam mentalibus, sive meditationibus, quia summè desiderat, DEUM à nobis amari super omnia, cujus adjumentum magnum est, meditatio. Hæc namque scintilla est divini amoris, corde concepta, & flatu afflantis Spiritûs Sancti sensim incensa, ut, in meditatione à scintilla excandescat ignis. *Anima* (aiebat Alph: Rodriq:) *exercetur in oratione mentali, ad assequendum suum finem, qui est amor DEI; ut videndo, quam multum DEO debeat, & quantum ab eo ametur, crescat semper in amore DEI, & expergiscatur, ad serviendum illi valde seriò, & ut, DEO valde placeat.* Diligamus ergo DEUM, & ut plus diligamus, medite-

ditemur. Nam, ut docet Angelicus: amor facit meditari de amato; *Quod enim amabile est*,(*inquit* Clem: Alex:) *ad sui meditationem trahit*, cùm igitur DEUS est summè amabilis, ideo debet esse magnes mentis nostræ, ut de illo quotidie meditemur: non superficialiter, sed accuratè. Amans enim, inquit Albert: de Adhær: DEO Cap: 12. nititur singula, quæ ad amatum pertinent, non superficialiter, sed intrinsecùs discernere, quasi ad interiora ejus ingredi, quod videns à nobis fieri DEUS, videt se, à nobis amari, & gaudet, amatque amantes juxta illud: *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me* (in meditatione) *invenient me, ut ditem* (magnîs gratiæ donîs) *diligentes me, & thesauros eorum repleam*. Prov. 8. Vide nunc, si DEUM amas, quomodo meditari velis?

Considera: 2. Nos meditari debere; quia meditatio conducit ad refrænandas passiones. *Equis non in ipso cursu frænum inijcimus, sed ante cursum*, ait Plut: sic, qui propensi sunt ad iram, & antea rationibus refrænandi sunt priùs

quàm

quàm in periculum ventum ſit. Hoc ſit in meditatione, ubi rerum Spiritualium rationes illas, quibus tempore periculi, neceſſitatis, animum contineamus, invenimus. Jdeo meditationem, omnibus viris Spiritualibus, tam neceſſariam eſse, ſcribit Jac: Alvar: de Perf: Tom: 5. Lib: 1. Cap: 11. ut ſine illius ſtudio, nomine Virorum Spiritualium, ſint indigni; Incipiens enim, ait, meditari debet, ut proficiat; proficiens, ut perfectus fiat: Perfectus, ne ab adepta puritate excidat. Meditatio eſt velut cibus quotidianus, quò tum magni, tum puſilli indigemus. Absque cibô quotidiè ſumptô, puer non proficit in ſtatura; adoleſcens non perveniet ad perfectionem viri. Vir non permanebit in ſua ſubſtantiâ, ſed brevî omnî robore Spirituali, ac vitâ exuetur. Meditatio eſt animæ, quod ſuccus eſt arbori. Arbor ſine ſucco non profert fructus, ſed ſterileſcit, areſcit, atque exſcindi meretur, ignis futura pabulum. At virum meditationibus aſſvetum, comparat Vates Regius, arbori feliciſſimæ: *In lege Domini meditabitur die, ac nocte,* inquit Ps:

1.

1. *& erit tanquam lignum, quod plantatum eſt, ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Mittit enim flores, & folia, & fructus, juxta genus ſuum, tempore congruente. Talis eſt, qui jugiter ſeu frequenter meditatur; non quidem opus eſt, ut ſtatim det fructum, ſed tempore ſuo; ut cùm fuerit tempus jejunandi, jejunet, cùm fuerit tempus orandi, oret, cùm injuriâ affectus fuerit, patienter toleret *&c.* nam folia verborum, flores deſideriorum, & fructus bonorum operum reddit, ſecundum temporis exigentiam, & ſic omnia, quæ facit, proſperabuntur. Et quemadmodum, qui cum magno aliquo, & admirabili Viro, multum converſatur, ex ejus conſvetudine non exiguum percipit fructum, ſic, qui per hoc exercitium perpetuam cum DEO habet conſvetudinem, divinam hauriet ſapientiam, & ſingularem percipiet fructum, & jucunditatem. Hîc etenim, licet guſtare, & videre, quàm ſvavis ſit Dominus. Vide nunc, & expende, an propter aliquod negotium, aut ſtudia, meditatio vel abrumpi vel negligi debeat?

Conſi-

Considera: 3. Meditationem rem esse DEO perquam gratam, quia est potissima ad recti inventionem via, in qua via, DEUS gaudet, nos quotidiè versari, ut inveniamus rectum, hoc est, id quod maximè DEO placet. Et ut hoc inveniamus, impendimus id, quod præstantissimum nobis DEUS dedit, nimirum, memoriam, quæ in medium affert ex suis thesauris mysteria sancta. Intellectum, qui scrutatur, & proponit cæcæ voluntati ea, quibus, juxta æternas, ac solidas rationes, discit amare, & odisse. Voluntatē, quæ agnita veritate, amore inflammatur, ut amet propositum sibi bonum practicum, & malum detestetur. Hinc David ait Psal: 118. *Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Scrutamur testimonia DEI, cùm ea, quæ in sacris literis continentur, à DEO scripta, meditamur intensè, & attentè, & nos id præstantes, beatos esse dicit, quia, toto corde exquirunt DEUM, id est, non solum obediunt DEO, cum aliquid præcipit eis, verùm etiam, ex toto corde, quærunt, inquirunt, & excogitant, quo-

modo

modo DEO in aliquo placere possint? Quid DEO gratius? Quid nobis feliciùs? hæc namque facit nos conformes imagini Filij DEI, qui cum in monte Thabor oraret, facta est species vultûs ejus altera, & vestitus ejus albus, & refulgens. Luc: 9. Sic etiam dum meditamur accuratè, immutamur interiùs, & fit animæ nostræ species altera, aliæ nempè cogitationes, alià verba, alij actus, alij mores, alia denique vita; ut homo prorsus alius esse videatur. Vide nunc, quantô desideriô, & conatu meditationi, vacare debeas, & velis?

CONSIDERATIO VIII.

De devota horarum recitatione.

REGULA.

Psalmis, & Hymnis, cùm oratis DEUM, hoc versetur in corde, quod profertur in voce. Cap: 2.

Considera: 1. PEculiari DEI gratiâ, & voluntate, nos ad hoc munus vocatos esse: ut quemadmodum alij

alij, alijs, & ſuis quisque munijs occupantur, unde etiam minus vacant ad ſerviendum DEO, ita nos ſingulari curâ, & devotione DEUM, in hymnis & canticis Spiritualibus laudemus, eumque nobis, & proximis propitium reddamus. Reſpice, ſi libet, univerſos homines, eorumque mores, & ſtudia diſpice; ecce, quam pauci DEUM debitè colunt, & orant, quàm verò multi, ipſum ignorant; heu! quot offendunt, & inhonorant? pro his omnibus, conſtitutus eſt Religioſus, & Sacerdos, velut mediator, ut à Populo, iram DEI ſupplex avertat, & gratiæ reconciliet. Deinde reflectamus nos ad creaturas inanimatas, quæ cùm ſint ſine anima, & voce, noſtrum ſpiritum, animam, & lingvam, quodammodo mutuant; ut laudent Creatorem, quinimò, cùm animæ reprobæ, ſe voluntariè gratiâ, & amore æternùm privârint, & conſequenter laude, in pænis blasphemantes Creatorem, & Redemptorem, nos, quibus laus DEI commiſsa eſt, tenemur ſupplere, & ſi in poteſtate noſtra foret, facere ex inferno cælum, damnatos in Sanctos, &

eorum

eorum blasphemias, in laudes, & amores Seraphicos convertere deberemus. Vide nunc, quantô zelô Divinum officium persolvere debeas, & velis?

Considera: 2. Nos obire officium Angelorum, quorum in cælo perpetuum est exercitium, DEI laudes celebrare. *Nescis* inquit S. Chrys: hom:, 24. in acta: *Quod cum Angelis stas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis? Chorus.* ait, Thom: Kemp: libr: 1. de claustr: discip: cap: 8. *& DEI & Sanctorum Angelorum locus sacratus, ubi divinum agitur officium; sicut Angeli in Cælo, sic Religiosi ordinati in Choro.* Opus Angelorum est DEUM semper laudare, opus Religiosorum est intenta mente psallere, & orare. Sic sta in Choro, & canta, quasi in mediò Angelorum stares. Recordare dilecti Domini tui JESU in præsepio jacentis, aut in Cruce pendentis, aut in Cælo ad dexteram Patris, tanquàm coram eo assisteres & cantares; Statue JESUM ad dexteram, & Mariam ad sinistram tuam, & Omnes Sanctos in circuitu eorum; omnes fratres tui, sint tibi, tanquam Angeli DEI, & cum quibus

nunc

nunc psallis in terra, spera etiàm, te cantaturum in cælis. Æmulare igitur, solertiam Angelorum junctam cum reverentia. In hoc namque ait, cognoscitur verus, & internus Religiosus, si in DEI laudibus fuerit ferventer intentus, si nil cogitare libet, aut agere, quàm ea, quæ DEO maximè placent, & cum Angelicis Spiritibus communionem habent. Qui verò à DEI laudibus torpescit, aut se absentat, non est amicus DEI, nec civis Cæli, quia Angeli semper in laudibus DEI sunt, & voce consona, Sanctus, Sanctus, Sanctus, in laudem Summæ Trinitatis cantant. *Angelorum opus est, & Sanctorum gaudium singulare*, ait idem lib: 3. cap: 8. *DEUM Creatorem suum incessabili mentis affectu laudare, benedicere, & glorificare*; hos imitantur, qui Divino Officiô libenter intersunt, & in Ecclesia DEI devotè orant, aut in Choro debitas horas cantant. Vide ergo, cum quanta reverentia, & devotione Choris Angelorum interesse, & cum his beatissimis Spiritibus, DEUM laudare velis?

Conſidera: 3. Quanto ſpiritu, & fervore SS. Patres præſertim S. P. N. Auguſtinus Pſalmos Davidicos cantaverint. *Quas tibi DEO, loquitur* S.P.N. libr: 9. Confeſs: cap: 4. *Voces in pſalmis dabam illis, & quomodo in te inflammabar!* potiſſimum ubi legebat: Bonus Dominus. & Cap. 6 *quantum flevi*, inquit, *in hymnis & canticis tuis, ſuaveſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus, commotus acriter, voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Libr: verò 10. Cap? 33. *Cum reminiſcor*, ait, *lachrymas meas, quas fudi, ad cantus Eccleſiæ tuæ, in primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſe commoveor, non cantu, ſed rebus, quæ cantantur (cum liquida voce, & convenientiſſima modulatione cantantur) magnam Inſtituti hujus utilitatem agnoſco.* Hi pſalmi, ſunt quidem nobis quotidiè cum illis in ore, ſed rarò in corde. Quid mirum? cum nobis tam parum curæ ſit, pſallere ſapienter. Qui enim legit reconditos in Pſalmis, alijsque horarum canonicarum partibus the-

ſau-

ſauros, & intelligit: accenditur, velut à vivis carbonibus. Qui verò non intelligit, nequidem caleſit. Induſtria contra hoc eſt lectio Commentariorum brevium in Pſalmos, Bellarmini, Heferi, Wollffg, Speth S. J. *&c.* Vide, quid in hac parte facere, & quomodo S. Patrem imitari velis.

CONSIDERATIO IX.

De Orationis Studio.

REGULA.

In Oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, unde, & nomen accepit: ut ſi fortè aliqui, etiam præter horas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint. Cap: 2.

Conſidera: 1. S. Legiſlatorem, & Patrem noſtrum Auguſtinum velle, ut, non ſolum templum & Oratorium, debitâ cum gravitate, modeſtia, & obſervantiâ Religioſâ ingre-

diamur, & nè, ullo alijs ſimus impedimento, abſque ſtrepitu, in ſilentio ſancto, quietè ibi nos habeamus: verum etiam, ita ſolliciti, de noſtra perfectione, & ſalute, toties, quoties, nobis vacat DEUM in Auguſtiſſimo Sacramento præſentem, cum fiducia adeamus, & coram eo humiliter proſtrati, hoc magnum negotium noſtrum ſeriò pertractemus. Rex namque eſt, infinitè benignus, & miſerationum Dominus, qui ſe honorantes exaltat, quærentes admittit, & bona poſtulantes, â ſe vacuos abire non ſinit. Hæc ſanè mirabilis dignatio Salvatoris noſtri, inquit: Jac: Alvar: quâ vult ſub Euchariſtiæ Sacramento in templis noſtris habitare, tanti ponderis fuit, & etiamnum eſt, in multorum cordibus, ut tanquam fideles ſervi, cum per aliàs occupationes licet, ad Eccleſiam, ut ad conclave Domini ſui, totâ devotione confugiant, ei genuflexi, aut ſtantes, aut, ſi, non aliter poſſunt, in humili ſcabello ſedentes, cum Angelis aſſiſtant, ſiquidem hic impletum cernunt, illud Dan: 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia*

aſſiſte-

assistebant ei. Nos igitur, qui tantô beneficiô præsentiæ DEI, & Domini nostri fruimur, eumque domûs nostræ habitatorem agnôscimus, in signum amoris, & debitæ gratitudinis, toties, quoties nobis vacat, & per obedientiam licet, ad eum accurramus, patent enim nobis hîc, in eius SS. Vulneribus thesauri opulentissimi. *Per hæc Sanctissima foramina:* inquit; S. Bern: Serm 61. in cant: *depluunt ad nos omnes gratiæ, omnes misericordiæ, & omnes consolationes cæli, vernant semper in divina præsentia & in DEI acceptione inmensa, & infinita merita illorum vulnerum, non reperiet unquam nostra paupertas aliud remedium. quàm uti divitiis thesauri Christi. O SS. vulnera, per vos nobiscum, & in vobis sunt omnes meæ divitiæ, omnia meæ gratiæ, & gloriæ merita.* Adeamus ergo in omni rerum eventu cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. *Christus* enim, inquit Joan: Wyer: *in Venerabili Sacramento pro quacunq; gratia ad superandam tentationem, ad proficiendum in virtute, ad perseverandum finaliter in gratia, elevat manus suas ad Patrem & plagas in medio earum.* Et sicut in di-

ebus carnis ſuæ preces ſupplicationesque cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus eſt pro ſua reverentia. Hebr: 5. Jta nunc exhibens, Patri ſua vulnera, ſemper exauditur. Vide nunc, quantâ fiducia, & deſiderio, Chriſtum in venerabili Sacramento viſitare debeamus?

Conſidera: 2. Poſt JESUM Euchariſticum, magna devotione ferri debemus, in Beatam Virginem Matrem DEI, erga quam S.P.N. Auguſtinus, tantam fiduciam habuit, ut dicere auſus ſit; ſe *præ pietate MARIÆ perire non poſſe.* Eſt enim Mater miſericordiæ, advocata, mediatrix, ac Domina noſtra, Mater item noſtra, quæ nos magis diligit, quàm omnes Matres ſimul ſumptæ ſuos filios, & affectu materno quotidie plurima præſtat beneficia, & maximam, ſingulorum curam gerit; nam ut S.P.N. Auguſtinus ait: *ſicut omnibûs Sanctis eſt potior, ita pro nobis, omnibûs Sanctis eſt ſolicitior.* Sancti quidem, multum valent apud DEUM, pro nobis intercedendo, ſed unicus apud Patrem mediator eſt, eius Filius JESUS Chriſtus, Dominus

no-

noster, & apud Filium mediatrix nostra est Diva Virgô, Domina nostra, quæ apud ipsum omni pollet authoritate; estque illi gratissima, nec patitur repulsam. Jdeo B. Arnold: Carnot: *Habet homo,* inquit *mediatorem causæ suæ filium ante Patrem, & ante filium Matrem, Christus ostendit Patri latus & vulnera, Maria Christo pectus, & ubera; nec potest ullô modô esse repulsa, ubi consurgunt & orant, omni linguâ disertius, hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia. Jmo velocior,* dicit S. Anselmus, *est nonnunquam salus invocato nomine virginis, quàm invocato nomine filij, non quod ipsa mater sit potentior (non enim ille magnus, & potens est per eam; sed illa per ipsum) verum, quia & si merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur.* Hinc S. Bernardus: O quisquis, ait, te intelligis in hoc sæculi profluvio, inter tempestates fluctuare, si non vis obrui procellis, respice stellam, voca Mariam. In periculis, in rebus dubijs MARIAM cogita, MARIAM invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde; & ut impetres ejus Orationis

ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. Jpſam ſequens non devias ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa Duce non fatigaris, ipsâ propitiâ pervenis *&c.* Et S. Eutychianus. Quis unquam ô Beata fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, & fuit derelictus? revera nullus unquam. Clementiſſima Mater, Virgo MARIA, erudiens Religioſam humilitatem, Sanctamque ſimplicitatem optimam eſſe, ad continuam ejus protectionem ſibi conciliandã, & ſubſidia, apparuit olim in viſione, Ven: Mathiæ Canonico Regulari in Northorn, omnes Canonicos Ordinis noſtri benignè affata: *Ego perpetua veſtri Protectrix ero, quamdiu in primæva humilitate, vilitate, ac ſimplicitate permanſeritis.* Prout teſtatur Hieronimus Boſenhard, Canonicus & Decanus in Vetenhausen in lib: cui titulus, Solitudo Sacra. *Totis ergo medullis cordium,* adhortatur S. Bernard: *totis præcordiorum affectibus, & votis omnibûs, Mariã, amemus, hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos*

habere voluit per Mariam. Vide ergo nunc, quomodo Mariam venerari, & in SS. Virtutibus, eam imitari velis?

Considera: 3. Sanctos, esse potentes, & advocatos nostros, qui, licet optimè colantur per optimam vitam, optimè tamen nos facturos, si illos etiam, dum vacat, precibûs veneremur, & litanijs. Litaniæ B. V. Lauretanæ, ac omnium SS. inquit Joan: Nad: S. J. tanta cum animi supplicis applicatione, ac devotione, sunt recitandæ, quantopere desideramus, ab illa, & ab illis, & per illam, ac illos, apud Deum, in quotidiana nostra egestate, prosperis, adversis corporis, & animi, ac in agone mortali potissimum adiuvari. Algazel Arabs (in magn: Kyrch) aiebat: *Qui sciverit catenam, connectentem Superiora inferioribus, hic mysterium maximum penetrabit.* Omnis Oratio est catena inferiora hæc superioribus connectens: at id maximè elucet in Litanijs, in quibus, catenæ velut carbunculus, aut adamas, Deus est. Inde Virgo Mater, Angeli, ac cælites reliqui, tanquam annuli aurei invicem connexi, catenam nectunt,

quâ cælites, ad nos detrahere, ad opem nobis ferendam connitimur: interea verò ipsi ad DEUM, cælitesque, per eam ascendimus, illisque connectimur. Quando ergo Litanias attentè recitamus: per Sanctos velut per annulos aureos, DEUM ad nos attrahere volumus: Et sic eum attrahere volendo, ad eum, per illos ascendimus. Et hoc est orare, corde ascendere. Multa sunt in Litanijs, quæ reddere possunt mentem seriò attentam, ut illa: *A morte perpetua, in die judicij: ut animas nostras ab æterna damnatione eripias. &c.* Si ea omnia, quæ ibi dicuntur, non lingva solâ, corde procul extra cælum vago, sed & animô ad rem attentô dixerimus, poterit etiam tempore Litaniarum exerceri, illa tantopere à Sanctis celebrata, mendicandi praxis, dum aliquid ab unoquoque stipis rogatur: ut à B. Virgine amor DEI; ab Angelis pura intentio, à SS. Patriarchis, & Prophetis fides, & spes, à SS. Apostolis obedientia, & zelus animarum, à SS. Martyribus patientia, & mortificatio, à SS. Confessoribus humilitas, paupertas, pænitentia, &c. à

SS.

SS. Virginibus Caſtitas &c. Vide igitur, quomodo Sanctos, qui nominatim à nobis invocati, ad preces noſtras, ſurdi non ſunt, cum omni poſſibili reverentia, honorare velis?

CONSIDERATIO X.

De abſtinentia eſcæ, & potûs.

REGULA.

Carnem veſtram domate iejuniis, & abſtinentia eſcæ, & potûs; quantum valetudo permittit. Cap: 3.

Conſidera: 1. Carnem noſtram domandam eſſe, abſtinentiâ eſcæ, & potûs, quantum valetudo permittit; quia nullus, palmam Spiritualis certaminis apprehendit, inquit Hugo de S. Vict: qui non in ſemetipſo prius, per afflictam ventris concupiſcentiam, carnis incentiva devicerit. Si enim non prius ea, quæ nobis viciniora ſunt, proſternimus, inaniter ad alia, quæ ſunt impugnanda, tranſimus. Hinc

nemo ſibi unquam polliceatur, ſolidam virtutem, quamdiu fuerit fœdum gaſtimargiæ mancipium. Jmo, inquit, *Drużbicki* S.J. in ſuo lapide lydio Conſider: 7. Religioſus, qui gulæ ſuæ impotentiùs ſervit & ſuccumbit, adeo vilis eſt, ut indignus ſit, cum quo diabolus colluctetur, & dedignatur dæmon certare cum guloſo, ſed eum, ſolius gulæ gladio debellari, ſuperbus ille ſatis putat, quô, quid debet eſſe Religioſo probroſius, & deteſtabiliùs? certè ignoro, quid poſſit eſſe contemptibiliùs eô, quem diabolus ipſe iudicat indignum tentationibus ſuis. Jta ille. Ergo firmiſſimè teneas, cum carnis, & præſertim gulæ commodis, ſatietate, voluptate, appetitu, ſemper tibi colluctandum eſſe, cum magna humilitate, & diffidentia, de proprijs viribus, memor S.P.N. Lib: 10. Confeſſ: c. 31. de ſe ipſo; ita loquentis: *In his tentationibus conſtitutus, certo quotidie adverſus concupiſcentiam manducandi, & bibendi: quis enim eſt Dominus, qui non rapiatur aliquando, extra metas neceſſitatis? quiſquis eſt, magnus eſt, magnificet nomen tuum. Ego autem non ſum;*

quia

quia homo peccator sum. Tu igitur certa, etiam bonum certamen, sicut bonus miles Christi JESU, domando carnem tuam, & omnem inordinatum bibendi, & comedendi appetitum. Est autem mensura seu abstinentiæ Regula, ipsa naturæ necessitas, quæ nobis ad conservandam vitam, & ad vitæ munia obeunda, alimenti ingestione succurrit, teste ipso S. P. N. lib: de morib: Eccl: cap: 21. ubi, ait: *Regula temperantiæ est, necessitas vitæ, & officiorum.* Ad gulam igitur pertinet, quidquid extra istam necessitatem accipitur. Vide nunc, quomodo carnem tuam domare velis?

Considera: 2. Jllum, qui cum sana intentione placendi DEO, abstinentiam exercet, non solum mundari à vitijs, & passionibus, sed etiam obtinere gratiam, ad exercendas omnes virtutes. Quemadmodum enim terra, ait S. Joan: Clim: Cap: 40. quæ consita nimium, ac plus quàm ei opus sit, aquæ recipit, non bonum fructum, sed spinas, & tribulos producit; quæ verò moderatam, ut decet, aquam imbibit, multum fructum affert; sic cor hominis, nimiô cibo, potuque

tuque utentis, non bonum fructum virtutum, peccatorumque ſpinas ac tribulos profert; utentibus verò ijs moderate, temperanterque, prout virtus abſtinentiæ requirit, perpulchrum, uberemque Sanctorum operum, & verarum, ac perfectarum Virtutum fructum edit. Si ergo medicis, ut putridum, & corruptum humorem expurgent, à corporali ciborum voluptate abſtinere præcipientibus, obedimus ad ſalutem, viresque corporis recuperandas, multò magis nobis, ad conſequendam animæ ſalutem, & virtutum fructum, hanc diætam divinam, juxta præſcriptum S. Doctoris, & Patris noſtri adhibere, & hoc Spirituale remedium abſtinentiæ ſuſcipere debemus. Cùm certum ſit, quod immoderatus uſus cibi, & potûs animæ ſimul, & corpori noceat, *animæ enim*, inquit S. Chryſt: *eſt fons, & origo omnium vitiorum, intellectùm hebetat, ut nihil cæleſte cogitet, voluntatem ad vilia & abiecta concupienda deprimit, & omnes mentis vires enervat, noxio ciborum onere prægravatas. Corpus etiam mille morbîs, & doloribus angit, vitam abbreviat,*

&

& sæpe intempestiva, & subita morte præoccupat. facile igitur abstinebis, si hæc serio perpendas; simulque Christi Sanctissimam vitam, & illustria Sanctorum Exempla, ante oculos ponas: Jlle enim per totam vitam, famem, & sitim passus, universis deliciis abstinuit. Jsti verò abstinentiâ se domârunt, omnes sensuum voluptates repudiârunt, armati vacuitate ciborum, ad virtutis arcem pervenerunt. *Quotquot virtutum viros vidimus*, ait S. Cyprianus, *sine iejunio non legimus ascendisse, nec aliquid magni moliti sunt, nisi priùs abstinentia præcessisset.* Si ergo volumus, post illos currere, onera gulæ deponamus, & nunquàm à mensa, sine aliqua nostri victoria surgamus: & si parvulam hanc sed quotidianam, de modica quapiam cibi sapidioris particula abstinentiam, tuique victoriam, DEO offeras, tantò magis DEO sapiet, quantò magis, palato tuo saperet bolus ille, ille haustus, à quo abstines, ut amore DEI, te vincas. Diligamus igitur, inquit S. Ephrem: abstinentiam, amoris sale conditam, ita enim ait Franc: Nad: S. J. Cor & &

caro

caro noſtra in DEUM exultabunt, quando cor DEI amore plenum perſvadebit carni; ut ſe, nunc iejunijs maceret, nunc abſtinentiâ minus ſevera mortificet. Vide, quomodo hanc abſtinentiam exercere velis.

Conſidera: 3. Praxim pro menſa Religiosâ: Auditô ſignô, cogita: quod DEUS Pater, verè bonus, verè miſericors, qui te (ſi Sacerdos es) quotidie cibare, & potare dignatur pretioſo corpore, & ſanguine deliciſſimi Filij ſui, quaſi agni immaculati: nunc etiam, te paſcere velit cibo, & potu, materiali quidem corpus, Spirituali verò animam tuam; ut, ita, hanc Sanctam Regulam implere valeas, quæ præſcribit: *Nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures, eſuriant DEI Verbum.* 2. Puram præmitte intentionem, iuxta illud Apoſtoli, 1. *Cor:* 10. ſive manducatis, ſive bibitis, omnia in gloriam DEI facite: hoc, vel ſimili modo. *DEUS meus, qui me paſcis à Juventute mea*, iam cibum ſumam, quem paterna tua providentia mihi deſtinavit, ut tibi placeam, quia hæc eſt voluntas tua: ut-

que

que viribûs refectîs ferventiùs tibi postea serviam: Offero itaque hunc cibum, & si eô sim planè indignus, iunctum illi amori, quo Dominus meus JESUS Christus, Corpus suum refecit, ad gloriam tuam, & salutem totius generis humani. O Bone JESU, qui nôsti fragilitatem meam, in concupiscentia gulæ reprimenda adjuva me, & perfice desiderium meum. 3. absconde te intra SS. JESU vulnera, ruminando nunc unum, nunc alterum, ex prædictis, aut sequentibus incitamentis. *v.g.* 1. In vulnere manus dexteræ, considera cæleste illud convivium, in quo Beati, maximè, qui eximiæ abstinentiæ, temperantiæque laude floruêre, vel cum singulari devotione, necessitati in corpore reficiendo, non voluptati, inserviêre, cum B. Virgine, & Angelicis Spiritibus, inebriantur ab ubertate Domûs DEI, & torrente voluptatis ejus potantur. 2*do* In vulnere manûs sinistræ, cogita Lazarum in sinu Abrahæ, & divitem epulonem in inferno. Audi & time DEUM per Prophetam intonantē: *Ecce*, ait Isai: 65. *Servi mei comedent & vos esurietis: Ecce*

servi mei bibent, & vos sitietis: Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, quia nimirum, bibent de vino iræ DEI Apoc: 14. *Et famem patientur, ut canes.* Psal: 58. *non per unum diem, aut annum, sed per totam æternitatẽ.* 3*tio.* In vulnere dextri pedis, considera, quam intolerabili fame, & siti purgatorij flãmis excrucientur, animæ Electorum DEI, à quibus te tam benignè præservat, & porrò præservare paratus est DEUS quàm piè & frugaliter te sub horam mortis, & Judicij particularis, usum fuisse necessarjis vitæ conservandæ subsidjis, utique tanquam medicamentis non delectamentis. 4*to.* In vulnere sinistri pedis cogita, quàm indignus sis ob tot peccata, ingratitudines tuas, pane filiorum DEI, qui toties secutus cupiditates tuas, te abjecisti ad siliquas porcorum. 2*do.* Quot pauperes & innocentes, DEO te gratiores, fame, & siti præmantur, quàm paternè è contra, tibi filio prodigo & ingrato, omnia necessaria mentis, & corporis subsidia, provide-

viderit DEUS. *5to.* In vulnere Divini lateris, & Cordis JESU.

1mo. Considera: quomodo JESUS infans, amore tui, dulcissimis uberibûs, B.V. Matris suæ abstinuerit; totâ vitâ jejunaverit, & in fame & siti te quæsierit. *2do.* Quam piè, modestè, decenter cum B.V. Matre, & S. Josepho, cum Apostolis, alijsque, in terris olim manducaverit, cum desiderio imitandi. *3tio.* Fellis, & aceti, quò ipse in cruce potatus est, recordando; teque ut delicatulum, humiliando & confundendo, quod, tam parùm ejus amore, hucusque appetitum mortificâris.

Henricus Suso ad triclinium abiturus flexis coram JESU Crucifixo genibus, illum invitabat, & ad singula fercula; *Amantissime JESU,* aiebat, *benedic obsecro hunc cibum.* Etiam in potu, idem servabat. Hæc verò ei erat consvetudo: ut in mensa, quinque haustus caperet, eosque ex Charissimi sui Domini, totidem vulneribus. Si quis cibus injucundus, ipsi oblatus fuisset, in cruentum cor dilecti sui, illum intingebat. Bolland 25. Jan.

In mensa, cogita Te esse, spectaculum DEO, Angelis, & hominibus, & sic comede, ut DEUM præsentem, & Angelos assistentes advertas, ut celeritate, & præcipitatione vescendi animus non distrahatur, nec Sacra lectione, aut alicuius piæ considerationis emolumentô frustretur, ut præsentes nihil in te immoderatum, aut abjectum videant, sed, ut considerantes tuam modestiam, & temperantiam, bonô exemplo ædificati, DEUM laudent, & glorificent.

Omnes cibos benedicendos, per Angelum tuum Custodem, offer Crucifixo JESU, & Mariæ, atque pretioso JESU Sanguine, & Mariæ dulcissimo lacte, misce cibum, & potum tuum, exemplô S.P.N. Augustini, qui inter ubera & vulnera medius, ita suspirabat. *Hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab ubere, positus in medio, quô me vertam, nescio.* Ac si diceret, ingens mihi est fiducia, & amor in Jesum, quoties eius Crucem, & vulnera intueor: Sed parem amorem, erga Mariam sentio, si ejus ubera, quæ DEI Filium lactaverunt, mecum considero. Sub finem, uti, & sub initium

mensæ

mensæ, memor divinæ in te liberalitatis, animô sursum elevatô, refectionem ventris conclude, pijs suspirijs mentis. Auctori omnium bonorum DEO gratias agendo, defunctis requiem, vivis, maximè benefactoribus gratiam, ex animo precando, alacriùs deinceps, DEO servire statuendo. Vide, an & quomodo, hâc praxi uti velis?

CONSIDERATIO XI.

De Abstinentia, extra horam prandij.

REGULA.

Extra horam prandij, nemo aliquid alimentorum sumat, nisi dum ægrotat.
Cap: 3.

Considera: 1. CUm Religiosus, homines sæculares ad sectandam JESU Christi vitam, exemplô suô magis, quàm verbô incitare, & trahere debeat, experientiâ verò doceat, nulla re adeò efficaciter illos moveri, quam si videant, quod quis carnem suam,

am, per veram abſtinentiam crucifixerit; hinc patet, quantô ſtudiô, Regulam S. Auguſtini profeſsus, conari debeat, ut non tantùm cibô, & potu temperatè utatur, ſed etiam horas conſtitutas obſervet, & extra eas, nequaquam ſibi aliquid indulgeat, ne, cui, inquit Hugo, de vita noſtra præbeamus offendiculum, valde enim indecens eſt, ſi nos reprehenſibiliter vivimus, qui formam rectè vivendi alijs demonſtrare debemus. Chriſtus Dominus noſter, poſt 40. illos dies, & noctes, quibus in deſerto jejunavit, & famem, & ſitim ibidem paſſus eſt, benè potuiſſet lapides in panem convertere, ſicque vires ſuas reſtaurare; attamen noluit, ſed exſpectavit: donec ipſi ex voluntate Patris ſui cæleſtis per Angelos cibus miniſtraretur, nos docens: cùm ut plurimum nos cupiditas, aut homines ad cibos extra horas ſumendos incitare ſoleant, ne eorum deſiderijs, ſed voluntati Dei obediamus, amore JESU expectantes, donec hora & loco à Superioribus conſtitutis neceſſaria nobis præbeantur. Licet autem peccatum non ſit, nec contra Regulam,

potum

potum, qui inter alimenta reputari non solet, extra horam sumere, attamen potum extraordinariè frequentare, evidenter offendit Religionis temperantiam, & decorem, ait, S. Bonav: Jdeo amator virtutis, potum nunquàm sine rationabili causa, & voluntate Superioris, & nè tunc quidem sine aliqua sui mortificatione admittit, ut inter illos sit, de quibus Salvator ait, Luc: 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Vide, quomodo hanc Regulam observare velis?

Considera: 2. Varietatem abstinentium. Plurimi sunt, qui parvo victu vitam sustentant, quia pauperes non habent, unde desideria sua expleant: alij parcissimè vivunt, quia avari, non audent pecunias expendere, alij extra consvetum tempus nihil alimentorum admittunt, ut sani vivant. Hi omnes quidem abstinent, sed sine merito. At verò servi DEI, & veri pauperes Christi abstinent, ut placeant DEO, & se JE-

SU

SU Christo Crucifixo conforment, verasque divitias, nimirum virtutes acquirant, & conservent, siquidem experti nôrunt, neminem, qui ciborum copia delectatur, solida virtute præditum esse, ut jure ab antiquis Sapientibus dictum sit: *Vitiosos vivere, ut edant, studiosos verò edere, ut vivant.* Hoc est, ita vitiosos instituere vitam suam, quasi ad nihil aliud vivere velint, nisi ad edendum, & bibendum, & voluptatibûs fruendum, studiosos vero & virtute præditos cibîs, & potibûs solum uti, quantum ad vitam, salutemque tuendam satis sit. Hinc de antiquis monachis Cass: lib: 4. de instit: Cap: 18. hæc ait: Antequam, vel postquam legitimam communemque refectionem percipiant, summa cautione servatur, ne extra mensam quicquam cibi penitus, ori suo quisquam indulgere præsumat, ut incedentibus, per hortos, & pomaria, cùm passim, blandèque per arbores poma pendentia, non solum objiciant se pectoribus transeuntium, verũ etiam strata per terrã conculcanda pedibus offerant, atq; ad colligendum parata facilè, ad consensum concupiscen-

piſcentiæ allicere valeant intuentes, & opportunitate, vel copia, quamvis diſtrictos, atque abſtinentiſſimos ad ſui deſiderium provocare ſacrilegum ducatur non modo, quicquam ex his deguſtare, verum etiam manu contingere. Malè itaque agunt, qui quoties ſe ſe offert occaſio, aliquid edunt, in horto poma, cum illum adeunt animi laxandi gratiâ, & in cella dum morantur, quæ cuſtodita habent, conſumunt. Vide, quomodo hucusque hanc Regulam obſervaveris, aut ſaltem impoſterum obſervare velis, maximè intra illas horas, quibus Chriſtus Dominus in Cruce pro nobis pendens, extremam ſitim paſſus?

Conſidera: 3. Quid mundani ſervi faciant, ut placeant Dominis ſuis, ſitiunt ſæpe, & vix audent minimum quid alimentorum ſumere, ut, ad eorum nutum quam promptiſſimi & expeditiſſimi eſſe queant. Quid ergo Religioſo facere convenit, qui ſe ſervum DEI profitetur, quotidieque pane Angelorum, ac carne, & ſangvine Agni immaculati reficitur; certè hoc vitium gulæ eſt, quod teſte. S. Bonaventura, *reddit Religioſum apud*

Deum

Deum, & homines co temptibilem. Vide igitur, quàm imperfectè se gerant, qui, extra horam ventrem implent, & sic altiores mentis functiones impediunt? *atqui rogo Religiose, ait S. Bonaventura, quæ paupertas, si mox ut esuris, mox ut sitis, volita pares.* Satias appetitum, nec eum usque ad statutam horam scis compescere? amplectamur itaque hilari corde hanc sanctam dietam, quæ nos faciet in DEI servitio fideles, & ad exequendam ejus sanctissimam voluntatem fortes, & alacres, atque per omnia charos, ut nos hîc magnîs favoribûs ditet, & tandem æternâ gloriâ præmiet. Manè ergo prævide occasiones, & fortiter decerne, quod hoc die, contra hanc Regulam omnino nihil admittere velis, etsi machinîs omnibûs dæmon, mundus, & caro conspirarent. Et quis est, qui etiam in gravissimis tentationibus, & occasionibus apertissimis, uno se saltem die continere non possit? atqui tota vita nostra dies unicus est, uti hodiernus, ita crastinus, ita tertius dies sunt, si hodierno te continere potuisti; quid ni cum eadem DEI gratia, & crastino

no? ut malè mihi ſapere videantur, inquit non nemo, qui difficultates ſuas, & tentationes in menſibus, in annis numerant, & quia tam longam victoriam deſperant; primo ſtatim die turpiter ſuccumbunt; vivant hodie, hodiè vincant, cras iterum ſi vixerint, victuri. Semper enim oportet in præſenti ſe abnegare, deſideratis ſe ſpoliare, & in futurum majorem ſibi commoditatem promittere. Hoc namque perfectorum & imperfectorum diſcrimen eſt. ait, S. Gregorius, nam iſti ſæpe jejunare proponunt, ſed cùm conſvetâ gulâ vincuntur *&c.* cras enim quod ſemper promittitur, nunquam invenitur; ſed Sancti Viri, ut hoſti illudant, rigorem converſationis in præſenti virtute habent. Pro illuſione infirmitatis carnis commodum in futuro promittunt, nunquàm fervidi inveniunt cras, in quo ſibi condeſcendant, & conſvetum rigorem vivendi remittant, ſed finem temporis nempè æternitatem ad otiandum, & ſibi indulgendum exſpectant. Vide igitur, quomodo in hac Regula cuſtodienda fidelis eſſe velis?

CON-

CONSIDERATIO XII.

De Sacra Mensæ Lectione.

REGULA.

Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consvetudinem legitur, sine tumultu, & contentione audite. Cap: 3.

Considera: 1. S. P. Augustinum præscribere, jubereque, ut attentô, & quietô silentiô, ad mensam, sacram auscultemus lectionem, velut excellentem asceseos Magistram; ideo, mensam accedere oportet, cum fame, & siti spirituali, audiendi verbum DEI: *Non enim, in solo pane vivit homo, sed & in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Matth: 4. Unde S. Pater: *Nec solæ vobis fauces,* inquit, *sumant cibum, sed & aures esuriant Dei Verbum.* Et B. Humbertus Cap: 59. *Nunquam cibus carnalis sit absque spirituali, hinc est,* inquit, *quod & tabulæ testamenti erant in arca cum manna.* Si igitur per manna denotatur panis, quô spatiô 40. annorũ,

Jsràél

Jsràël in deserto vitam toleravit, in tabulis autem legis designatur doctrina, qua fideles suos gubernat, instruit, & sanctificat Deus: optimè concluditur, nobis Religiosis; ubi mensa sternitur, & panis sumitur, assiduo, indefessoque studio, percipienda esse cælestia dogmata, ut non solum corpus nutriatur mannâ, sed & cælestî disciplinâ erudiatur anima. Quapropter ad satiandam potiùs mentem, sacræ lectionis pabulô, quam cibîs ventrem, accedenda est mensa: *Non enim est Regnum Dei esa, & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Rom: 14. & Hebr: 13. *Optimum ergo est* ait, *gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Excitemus igitur, prius semper desiderium sumendi hunc cibum Spiritualem. Unde fiet, ut DEUS, sic esurientem animam mira dulcedine sit perfusurus, hæc namque lectio, est Panis vitæ, & aqua saliens in vitam æternam, cùm animus interea pijs affectibûs in DEUM assurgit, atque adeo non ventre, sed mente plena, de mensa surgentes læti cum Regio Psalte cantamus: *Quam dulcia faucibus*

cibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Vide nunc, quid facere decernas?

Considera: 2. Ubertatem, & varietatem spiritualium fructuum, ex Sacra lectione, & Verbo Dei audito, *Primò* divinitùs illustrat, & conservat oculum intellectûs, ut securè in via Dei, ambulemus: *Siquidem lex Dei, lux Verbum ejus lucerna. Declaratio sermonum ejus illuminat, & intellectum dat parvulis. Et præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Expertum se hoc fatetur S.P.N. Augustinus Libr: 8. Confess: Cap: 12. post lecta verba Apostoli: *Non in commessationibus, & ebrietatibus &c.* statim, inquit, cum fine hujus sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Jdem experti sunt, & experiuntur quotidiè, alij plures. *2do.* Roborat, & consolatur nos in angustijs, & conscientiæ scrupulis &c. *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.* Rom: 15. 3. Præservat à peccatis & vitijs: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*

bi. 4. Excitat nos ad virtutem, dum varias Dei exhortationes, & Sanctorum exempla proponit. 5. Accendit in nobis ignem divini amoris, accensumque inflammat, & auget: *Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.* Quis enim non inardescat, si immensum Dei, erga nos amorem, & innumera beneficia Creationis, Conservationis, Redemptionis, vocationis, justificationis, & glorificationis, è Sacra lectione audiat *&c.* 6 Reddit nos insuper indies aptiora instrumenta, quibus DEUS in proximorum salute promovenda uti dignetur, cùm nos inflammat ad acrius studium earum virtutum, quibus præditi sint oportet, veri zelatores animarum, ut verè de nobis dici possit: *Vos estis lux mundi: sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Matth: 5. Vide ergo, quantô desiderio in Sacram lectionem ferri, eamque audire debeas?

Considera: 3. Quare nullum sæpe fructum, ex Sacra lectione percipiamus. 1. est *Curiositas*, quâ duntaxat quærimus verbo-

verborúm folia, & dicendi artificium, non attendentes dictorum fuccum, nervum, & fubftantíam, quæ nobis ad profectum neceffaria eft. Sic rectè conferimur cum cribro, quod granula, floremque farinæ transmittit, folis retentis paleis. 2 Eft contemptus librorum, qui nobis fimplices, & vivo DEI Spiritu vacui videntur. Sed malè & temerariè, cùm eo ipfo, quod hi à Superioribus noftris ordinentur pro lectione, DEUS velit, ut inde ipfum loquentem audiamus. *Imperator cæli*, verba funt Magni Gregorij: *Dominus Angelorum, & hominum, pro vita tua tibi Epiftolas fuas transmifit, & tu illas ardenter legere (& audire) negligis? quid eft enim Sacra Scriptura? nifi quædam Epiftola Omnipotentis DEI ad fuam creaturam?* Quis non in eis DEI voluntatem, & jufsa agnofcat? quis non exclamet cum Samuele: *Loquere Domine quia audit fervus tuus*, & Thom: à Kempis Libr: 1. Cap: 5. *Non te*, inquit, *offendat authoritas fcribentis, utrum parvæ, vel magnæ literaturæ fuerit, fed amor puræ veritatis te trahat ad legendum. Non*

quæ-

quæras quis hoc dixerit, ſed quid dicatur, attende. 3. Eſt oblivio, & incuria, cùm tamen illi ſoli beati ſunt, qui audiunt Verbum DEI, & cuſtodiunt illud, mente ſcilicet & opere: *Sic ſerva Verbum DEI,* inquit S. Bernar: Serm: 5. de advent: *quomodo meliùs ſervare potes cibum corporis tui, nam & ille panis vivus eſt, & cibus mentis. Panis terrenus, dum in arca eſt, poteſt à mure corrodi, poteſt à fure tolli, poteſt vetuſtate corrumpi, ubi verò comederis illum; quid horum timeas? hoc modo cuſtodi Verbum DEI, beati, qui cuſtodiunt, ergo trajiciatur in viſcera animæ tuæ, tranſeat in affectiones tuas, & in mores tuos.* Hæc ille. Vide quomodò te habeas, & habere velis?

CONSIDERATIO XIII.

De Modeſtia.

REGULA.

In inceſsu, in ſtatu, in habitu, in omnibus motibus veſtris, nihil fiat; quod cujusquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Cap: 3.

Conſidera. 1. HAnc Regulam nobis præſcribere, modeſtiam omnibus numeris abſolutam. Imprimis cùm ſimus Filij, & Servi DEI altiſſimi, ſtantes ubique in conſpectu, hujus tremendæ Majeſtatis, coram qua, ipſi Spiritus Seraphici præ reverentia, facie velata concinunt ſuum triſagium. 2. Quia ſumus diſcipuli Chriſti, cujus Divinam modeſtiam tenemur imitari, quæ tanta fuit, ut Apoſtolus Corinthios ſuos, hiſce obteſtaretur verbis: *Ipſe ego Paulus obſecro vos per manſvetudinem, & modeſtiam Chriſti.* 1. Cor: 1. 3. Quia ſumus Templum Spiritûs Sancti, juxta illud 1. Cor: 6. *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritûs*

San-

Sancti, qui in vobis est. Hinc meritò in nobis, omnia debent esse decentissimè disposita, ut nihil sit, quod Divini hujus Spiritûs offendat oculos. Si enim servi Regis Salomonis, tantâ cum modestiâ steterunt, & omnia tali ordine fuerunt disposita, ut Regina Saba hæc videns, non haberet ultra Spiritum: quantâ modestiâ nos oportet esse præditos? qui sumus filij, & servi ipsius DEI, Regis immensæ potentiæ, & Majestatis *sub quo etiam curvantur, qui portant orbem.* Job. cap: 9. Vide ergo, an & quomodo habitet in te modestiâ Christi in oculis, in lingva, in incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus tuis?

Considera: 2. Obligationẽ quam maximã habemus, ut sẽper, ubiq; & in omnibus simus modesti; nimirum, quia exinde dependet major DEI gloria, & proximi nostri salus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus; ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Matth: 5. Hinc clamat Apostolus ad Phil: 4. *Modestia vestra, nota sit omnibus hominibus. Quæcunque*

sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sa ctæ, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, siqua virtus, siqua laus disciplinæ, hæc cogitate. 2. *quia nos etiam sumus sal terræ.* Matt 5. Quod si sal infatuatum fuerit, si Religiosus vanitati, & levitati se dederit, in quo salietur? quem respectum habebit Populus? quale exemplum? ergo ad nihil valet ultra talis Religiosus, nisi ut conculcetur ab hominibus, & despiciatur. Jdeo Apostolus Tess: 4. *Rogamus vos, ait, ut abundentis magis, & operam detis, ut quieti sitis, & ut honestè ambuletis, ad eos qui foris sunt*, & 1. Thim: 4. Thimoteum suum instruens ait: *Exemplum esto fidelium, in verbis, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Nam ut Trident: loquitur Sess: 22. Cap: 1. *Nhil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui, se divino ministerio dedicârunt.* Vide igitur, quomodo modestiam colere debeas, & velis?

Considera: 3. Tanti momenti esse hanc modestiæ virtutem, ut nullam omninò ministerij nostri partem exequi debitè possi-

poſſimus, niſi omnes actus, geſtus ſermones *&c.* hâc virtute regantur, ac veluti condiantur. Jdcircò curam præcipuam habere debemus, ut illam nobis propriam faciamus; atque non ſolum peccata, & vitia, ſed & defectus omnes, huic virtuti contrarios, ſeriò emendemus. Quod ſi quis interrogaverit, quanta, qualisve modeſtia noſtra eſſe debeat? reſpondet Hugo noſter de S. Vict. *Chriſtianus modeſtus moribusque compoſitus, eà ratione compareat oportet, ut erat Chriſtus in terra, & Angelus in corpore aſſumpto.* S. Jgnatius Loiola, has præſcribit modeſtiæ leges: *Caput huc illuc, leviter non moveatur, ſed cum gravitate, ubi opus erit: & ſi opus non ſit, teneatur rectum, cum moderata inflexione in anteriorem partem, ad neutrum latus deflectendo: oculos demiſſos, ut plurimum teneant, nec immoderatè eos elevando, nec in hanc, aut illam partem circumflectendo: inter loquendum cum hominibus, præſertim alicujus authoritatis, non defigatur aſpectus in eorum vultus, ſed potiùs ſub oculos. Rugæ in fronte, ac multo magis in naſo evitentur, ut ſerenitas exteriùs cernatur, quæ* inte-

interioris sit indicium; Labia nec nimis compressa, nec nimium diducta, tota facies hilaritatem potiùs præseferat, quam tristitiam, aut alium minus moderatum affectum. Vestes sint mundæ, & cum Religiosa decentia compositæ: manus, si non in sustinenda veste occupentur, decenter quietæ teneantur. Incessus sit moderatus sine notabili festinatione, nisi necessitas urgeat, in quo tamen quantum fieri potest, decoris ratio habeatur. Omnes denique gestus, ac motus, ejusmodi sint, qui apud omnes ædificationem pariant. Vide an has modestiæ leges observaveris, aut saltem observare velis?

CONSIDERATIO XIV.

De oculorum custodia.

REGULA.

Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquam fæminarum, figantur in nulla. Cap: 4.

Considera: 1. CUm per oculos malè custoditos oriatur concupi-

cupiſcentia, & per hanc peccatum, mors animæ; oportet nos, omnî diligentiâ illos cuſtodire. Si enim domum claudimus, nè ingredi poſſit, qui nobis, aut domeſticis noſtris noceat, cur non magis claudamus oculorum portas,per quas concupiſcentia, & cum hac malorum maximum,nempè peccatum ingreditur? in nullam igitur fœminarum de propoſito conjiciamus oculos, niſi cadere velimus: ſi verò caſû id contingat; caveamus illos figere in pulchritudine aliena. Non dicant,monet S. P. N. *bonô animô attendi*. Ecce de longe vidit David mulierem, in qua captus eſt, mulier longè, libido propè, alibi erat, quod videret in illa,unde caderet. Et S. Cypr: offert, inquit, dæmon oculis, format illices, & faces voluptatis, ut viſu deſtruat caſtitatem. Hinc ſapiens monet Eccl: 9. *Virginem nè conſpicias, nè forte ſcandalizeris in decore illius; propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcientiâ, quaſi ignis exardeſcit.* Sanctus verò Chryſoſtomus lib: 6. Sacerd: cap: 8. *Animum* inquit *ferit, & commovet, non impudicæ tantum, ſed pudicæ quoquè*

mulie-

mulieris oculus. Hinc S. P. N. Augustinus dicere ausus est. *Basilisci aspectum tolerabiliorem esse, cantu & aspectu fœminæ, eô, quod ille suo aspectu corpus, hæc verò animam occidit.* Considera igitur, quomodo hactenus, oculos tuos custodieris, aut saltem inposterum custodire velis?

Considera: 2. Nè oculos nostros malè figamus in fæmina, optimum remedium suggerit S. P. N. Augustinus, jugem nimirum Dei memoriam, & præsentiam, dum ait: *sed etsi lateat, ne à nemine hominum videatur; quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? an ideo putandus est non videre, quia tantò videt patientiùs, quantò sapientiùs? Illi ergo Vir Sanctus timeat displicere, nè velit fœminæ placere, illum cogitet omnia videre, nè velit fœminam malè videre.* Fidelis itaque servus DEI fugit aspectum, & conversationem periculosam, & solam secundùm dilectum discipulum 1. Joan: cap: 1. ac dulcem illam amat conversationem, cum SS. Trinitate. in qua animæ nostræ essentia, sanctificatur divinitatis præsentiâ, memoria

moriâ præſentiâ Patris, intellectus præſentiâ Filij, voluntas præſentiâ Spiritus Sancti, unde anima tota eſt in DEO, & DEUS totus in anima, illam gratiâ ſuâ præſervando, & defendendo ab omni malo peccati. Quantum ergo divinam æſtimas gratiam, tantundem oportet te appretiari divinam præſentiam, quia nè quis peccet, & gratiâ DEI excidat, in omni loco, tempore, & actione memoria divinæ præſentiæ neceſſariâ eſt. Unde S. Jgnatius Martyr Heroni, hoc dedit conſilium: *Memento Dei, & non peccabis*; quare aſsocia te ſemper Deo, & cum Patre Filio & Spiritu Sancto, ſit converſatio tua. Recordando documenti illius S. P. N. Auguſtini in Pſal: *Qui non dat locum*, ait, *Divinæ inſpirationi, dabit locum diabolicæ ſuggeſtioni, anima enim nequit eſſe ſola, & ſine ulliùs comitatu, ſi non admittit præſentiam Dei, dæmonis admittit præſentiam, & conſortium.* Hinc optimè dixit Diocles inſtruendo Palladium, ut habetur in VV. PP. *Cùm diſcedit anima à Dei præſentia, ſtatim vel diabolus, vel beſtia efficitur: ſubitò enim prolabitur in affectum aliquem*

quem inordinatum superbiæ, aut sensualitatis. Vide nunc, an & quomodo hoc medio usus sis? aut certè, uti velis?

Considera: 3. Ut oculos claudamus pulchritudini alienæ, moveat nos. 1. Voluntas JESU Crucifixi, & B. MARIÆ V. *Oculi mei,* ajebat olim Christus ad S. Birgittam libr: 1. Revel: cap: 11. (& nunc etiam ad nos) *erant* sanguinolenti, & pleni lachrymis, ideo *Oculi tui debent abstinere ab omni delectabili visu.* Et B. V. hæc tria monita dedit F. Alphonso Rodriq: Soc: JESU. *Quando incedis per viam,* ajebat, *non attollas magis oculos, quam sit necesse ad videndum, ubi pedes figas, ad neutrum latus convertas oculos, nec caput attollas, sicut hodie fecisti, quando vidisti mulierem.* 2. Cùm B. Job cap: 31. *Pangamus nunc fædus cum oculis nostris, ut mereamur aliquando aspicere pulchritudinem cæli. Qui claudit oculos suos,* ait Isai. 33. *ne videant malum, iste in excelsis habitabit,* Regem in decore suo, videbunt oculi ejus. Speciosum præ filijs hominum; Pulcherrimam inter Filias Reginam cæli, Virginem Matrem, Sanctos, & Sanctas DEI,

mirè

mirè ſuper ſolem fulgentes. *O! Felix jucunditas! & jucunda felicitas*, exclamat hac pulchritudine inflammatus S. P. N. Auguſtinus: *Sanctos videre, cum Sanctis eſſe, & eſſe Sanctum: DEUM videre, & DEUM habere in æternum.* Et ultra ſic facile claudemus oculos noſtros, cum S. Silvano, ita oculos ſuos alloquente; *Claudamini oculi mei claudamini, & ad futura vos gaudia reſervate.* Qui autem non novit, aut non ſatis æſtimat delicias cæli, non eſt mirum, ſi delectetur mundi vanitatibûs. Vulgô dicitur, ait S. Bern: Serm: 5. de OO. SS. *Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus, memoria mea, cogitare de Sanctis, quodammodo eos videre eſt.* Sic nempè, portio noſtra in terra viventium, nec modica ſanè portio, ſi tamen, ut decet, memoriam affectio comitetur; ſic inquam, converſatio noſtra in cælis eſt, verum tamen non ſic noſtra, ſicut illorum; ipſorum enim ſubſtantia ibi eſt, noſtra autem deſideria. Jpſi per præſentiam, nos per memoriam. Vide an & quomodo, hæc hucusque te moverint, aut ſaltem, te impoſterum movere debeant?

CON-

CONSIDERATIO XV.

De Medijs Conſervandæ Caſtitatis.

REGULA.

Ubicunque, ubi fæminæ ſunt, invicem veſtram pudicitiam cuſtodite; DEUS enim, qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis. Cap: 4.

Conſidera: 1. FOrtiſſimum medium ſervandæ caſtitatis eſſe, ex una parte bene ponderare mala, quæ hæc fædiſſima voluptas infert, tam corpori, quam animæ. Luxuria animam polluit, & corpus, ac membra humani corporis, membra Chriſti, & templa Spiritûs Sancti profanat, & in lupanar convertit turpitudinis, putidiſſimas corpori ægritudines infert, animæ ſalutem eijcit, ſenſus infatuat, & famam denigrat, ejus initia blanda quidem ſunt, & quaſi melle illita, ſed noviſſima amara, quaſi abſinthium, & acuta, quaſi gladius biceps, media autem, tot periculîs, tot moleſtijs, tot inquietudinibûs plena; ut impudicus etiam in hâc vita, pro breviſſi-

ma

ma voluptate, dolorem centuplicatum recipiat. *O ignis infernalis luxuria,* exclamat S. Hieron: *cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ, prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* Quis hæc considerans non toto corpore perhorrescat? Contra amabimus castitatem, si ex altera parte, hujus Angelicæ virtutis prærogativas, & præmia, probè intelligamus. Hæc, juxta SS. PP. sententiam, hominem Angelis similem, imô aliquomodo nobiliorem facit: *differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate non virtute.* ait, S. Bernardus. Sed & si illius castitas, sit felicior, hujus tamen fortior esse concluditur. Et S. Cyprianus: Virginitas, inquit, æquat se Angelis, si verò exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata, victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli. Sanctus verò Athanasius exclamat: *O Virginitas corona, quæ nunquam marcescit, Templum DEI, Sacrarium Spiritus Sancti, gemma pretiosissima, á paucis inventa, à multis odiò habita, à solis dignis opta-*

optata. O divina Castitas, beatus, qui te obtinet, & constanter retinet, modicum enim laborabit, & plurimum in te, ipse gaudebit. Amanda igitur est pulchritudo castitatis, inquit S. Jsid: libr: 2. de sum: bon: Cap: 40. cujus degustata delectatio, dulcior invenitur, quàm carnis. Castitas enim fructus svavitatis est, & pulchritudo inviolata Sanctorum; castitas servitus mentis est, & sanitas corporis. Ora igitur cum S. P. N. Augustino libr: 10. Confess: *Continentiam jubes Domine, da quod jubes. & jube quod vis.* O Castitas! quæ carnem castigas, & in servitutem redigis, & animæ alas ad cælestia adjungis, condecora me!

Considera: 2. Efficacissimum servandæ castitatis medium esse, fugam mulierum. Hinc S. Chrysost: *Job*, inquit: *Diabolum videns accedentem, non fugit sed mansit, sicut leo, viribus fidens: Virginem autem videns, non stetit, neque moratus est, in contuenda pulchritudine; sed statim secessit, censebat nimirum, in prælio contra dæmones, virili & audaci animo opus esse; In continentiæ autem prælio, victoriam concedi, non ex Virginum consvetudine,*

sed

sed secessu. Quamdiù enim quis, scandali occasionem non removet, impossibile est, à corde perturbationes pravarum cogitationum, & incendium improbarum concupiscentiarum recedere. Et sine omni dubitatione, qui familiaritatem mulierum, non vult fugere, cito labitur in ruinam, ait, S. P. N. de honest mul: *Nam imprimis admittuntur confabulationes, quibus imprudens homo, præsentis fæminæ pulchritudine, pascit oculos:* mollissimâ ejus voce, aures oblectat, & jam, quasi oculis, & auribus fornicatur, siquidem ea oculi impudici, & avidi, jam attingunt, inquit S. Gregorius Naz: quæ nefas est attingere. Quam res periculo plena sit fæmina audi S. P. N. quid fæmina sit,, ait, fratres agnoscite: *muscipula est animæ, latrocinium vitæ, svavis mors, blanda percussio, malum libens, sapida jugulatio, omnium calamitatum radix,* & Libr: de sing: Cler: de carbonibus, inquit, scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam. Quis ergo, præsentiam, & conversationem fæminarum,

non fugiat? in necessaria autem conversatione cum mulieribus, optimum medium est: timor DEI præsentis, & omnia cernentis: petitio Divinæ. gratiæ, & generosa repulsio primæ cogitationis, cum contemptu, & aversione mentis ab objecto repræsentato, & conversio amorosa ad DEUM, in corde nostro habitantem; ad Christum crucifixum, ad Immaculatam Virginem; ad Angelos nostros Custodes, & demum, abscissio omnis moræ, non necessariæ, non enim prodest salvare alios, si nos ipsi perdamus. Vide an, & quomodo tu, hæc media adhibueris, aut saltem adhibere velis?

Considera: 3. Singulare remedium, castitatis, esse mortificationem: quemadmodum enim, equus frænandus, & constringendus lorîs, insuper flagellîs coërcendus est, ne sessorem suum præcipitet, aut deijciat, ita quoque caro, ex perversa suâ natura petulans; & lasciva, omnî studiô, mortificanda est. Unde S.P. Lib: de Salut: doctrin: 4 ait: caro data est nobis, quasi animæ bellum, quæ si mortificetur, adducit ad vitam, si nutria-

triatur, præparat se, contra animam, ad mortem. Jdeo ait Apostolus 1. Cor: 9. *Sic pugno, non quasi àérem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, subigo, contundo,* loquitur S. Gregorius; *velut equum scilicet petulantem, jejunijs, flagello, ciliciô, frigore, lobore;* castitas enim, sine suis comitibus, jejuniô videlicet, & temperantia, citò deficit; quod si his, quasi adminiculîs, roborata fuerit, perfacile coronabitur, inquit S. Chrysost: Hom: 1. in Psal: 50. & S. Carolus Borom: ad quendam Cardinalem scribere non dubitavit: *Sine pænitentia, & asperitate vitæ, impossibile esse, servare castitatem, utpote, quam tantopere caro, dæmon, & mundus, impugnant, vide an deceat, & sub capite spinis coronato esse membrum delicatum, & voluptatum rosis coronatum? natant oculi ipsius sangvine, & lachrymîs, & tu non vereris tuos oblectare vanitatibus! aures ipsius replentur blasphemîjs, & opprobrîjs, cùm tuæ interea, ex blando mulieris sermone, venenatas delectationes haurire non timent. Corpus ipsius totum laceratur spinîs, flagellîs, & clavis, & tu, audes corpori tuo blan-*

diri. Vide num hoc ſit caſtitatem tueri, & ſuſpira cum S. P. N. Med: cap: 1. *Rex meus, extingve in me deſideria carnis, et accende ignem tui amoris.*

CONSIDERATIO XVI.

De Correctione Fraterna.

REGULA.

Si, Oculi petulantiam, in aliquo Veſtrum adverteritis, ſtatim admonete, nè cæpta progrediatur, ſed de proximo corrigatur. Cap: 5.

Conſidera: 1 FRatrem, de ſuo errore, admonendum eſſe; quia, hic eſt actus miſericordiæ, & fraternæ charitatis, quâ quis ſubvenit neceſſitati ſpirituali proximi, adeoque magni momenti, cum laboratur pro anima, pro qua Chriſtus Dominus noſter, uſque ad mortem laboravit. Caveamus igitur nè omitamus corrigere fratrem, & ad meliorem frugem reducere, ſi quem vel unum defectum in eo advertamus. Unde S.P.N. *Magis quippe*, inquit *innocentes,*

tes, non estis, si fratres vestros, quos indicando (vel admonendo) corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Et hoc ipso, quò tenemur amare DEUM, & proximum, tenemur etiam, quantum possumus injuriam DEI, & malum proximi impedire ; hinc sequitur, nos teneri utrumque avertere. Deinde, quivis homo est imago DEI, & quidem post Angelos, alijs rebus conditis præstantior, & infinitô pretiô Sangvinis JESU Christi redempta; si ergo videntes, imaginem ligneam Christi in luto, aut periculo incendij, iacentem, mox accurramus, & eripere conemur, an, non Dei imaginem, tam pretiosam, in luto peccati, & periculo æterni incendij constitutam aspicientes, non succurramus, & liberare à tali periculo studeamus? nè omittamus itaque lucrari fratrem nostrum, cum nihil, huic lucro comparandum sit. Nulliùs quippè rei pretium inquit S. Chrys: hom: 3. in Ep: 1. ad Cor: est animæ conferendum, ne totus quidem mundus, quamobrem etiamsi divitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is, qui convertit ani-

mam. Et *ad hoc*, inquit Hugo de S. Vict: *In unum habitamus, ut nos invicem custodiamus, invicem corrigamus, invicem erudiamus*. Vide ergo, quomodo, hanc Regulam observare velis?

Considera: 2. Modum corrigendi fratrem, nè ut ait, S. Chrysost: dum rupturam sarcire volumus, majorem diruptionem faciamus, collapsaque cupientes erigere, casum graviorem inferamus. Correctiò itaque, si opus sit, fiat sine iracundiâ, qui enim cum iracundia, errantem corrigit, impedit, nè errorem suum agnoscat, & emendet, sed correctionem ex odio potiùs, quam ex charitate provenire correctus interpretatur, corrigens verò cum iracundia, ostendit se, non invehi in vitium, sed in hominem, cum tamen dicat S. Pater, quod debeat fieri cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quare idem S.P.N. in Epist: ad Gal: cap: 6. Pulchrum dat documentum correctori, ut priùs, quàm aliquem corrigat, se examinet, an amore ad correctionem moveatur, quidquid enim, laceratô animô dixeris, inquit, punientis est impetus, non charitas

tas

tas corrigentis; dilige, & dic, quod voles, hinc admonet Apostolus ad Gal: 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos qui, spirituales estis, hujusmodi instruite, in spiritu lenitatis.* In quem locum S. Chrysost: *non dixit, inquit, in mansvetudine sed in spiritu mansvetudinis; nam, qui divino spiritu perfunduntur, acerbos ac rigidos esse, nequaquam decet. Ipse namque Spiritus, amor est; & amantes animos occupat, quis igitur acerbitati, in eo potest esse locus, quem tanta vis amoris possidet? Caveant igitur,* interpretatur hanc Regulam Hugo Victorinus, *ut neminem, cum ira, & indignatione, sed potiùs cum dulcedine, & charitate, redarguant.* Sic corripuit Josue reum mortis Acham deprehensum? *Fili mi,* ait, cap: 7. *da gloriam, Dño Deo Israël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris.* Et Loth ad Concives suos: *nolite, inquit* Gen: 19. *Fratres mei, nolite malum hoc facere.* Sic Nathan quoque Davidem, propositâ parabolâ, correxit artificiosè. 2. Reg: 12. Vide, quomodo tu, te habeas, in correctione fraterna?

Consi-

Conſidera: 3. Quod æquo, & gratô animô, accipiamus correctionem, quam DEUS, ad ſanitatem animæ noſtræ, ordinare conſvevit. *Si enim*, ait S. Baſilius: *Chirurgos diligis, corporis vulnera curantes, etiamſi crucient, doloremque inferant, eisque mercedem pro labore, & animi gratitudinem reddis; quanto magis diligendus eſt is, gratiæque illi agendæ, qui animæ vulneribus medetur. Et ſi veſtem habeas diſſutam* inquit S. Chryſoſt: *aut ſordidam*, aut faciem maculatam, magnum tibi præſtat beneficium, qui hujus rei te monet, gratiaſque propterea, illi agis, quantò igitur, rationi erit conſentaneum, gratias ei agere, qui te, de animæ maculis monet, ut eas abſtergas; Hinc olim in Claravallenſi Monaſterio, pius hic mos viguit, ut ſi quis, ab altero de aliquo defectu moneretur, vel reprehenderetur, illico reprehenſus, in gratiarum actionem, pro reprehendente, recitaret Orationē dominicam. Laudandus, etiam hic venit S. P. N. Auguſtinus, qui Epiſt: 19. ad S. Hieron: de ſe ipſo ſcribit: *Identidem rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi opus eſſe perſpexeris,*

quam-

quamquam enim, secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopus Presbytero major sit; tamen multis in rebus, Augustinus Hieronimo, minor est. Et Libr: de correct: & Grat: Cap: 5. *Qui corripi non vis, inquit, etiam, propterea corripiendus es, quia corripi non vis, non vis enim tua vitia tibi demonstrari, non vis, ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras, non vis tibi, tu ipse ostendi, ut cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices, ne in illa remaneas fæditate. Accipe igitur,* monet S. Bernard: *Correctionem, tanquam donum è cælo delapsum, & ita gratum te exhibebis ei, per cujus manum accipis.* Vide quomodo, te habere velis?

CON-

CONSIDERATIO XVII.

De Triplici Cordis habitu.

REGULA.

Probate, quantum vobis desit, in illo interiori habitu cordis. Cap: 6.

Considera: 1. SI DEUM in corde nostro habere, illiusq; Sanctissimis oculis placere velimus, cor nostrum debere esse vestitum sanctitate, quæ ex mente D. Dion: Areop: *Est ab omni scelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte, immaculata puritas.* Hanc DEUS à nobis requirit, dum ait, Levit: cap: 11. *Ego sum Dnus DEUS vester, Sancti ergo estote, quia ego Sanctius sum, ne polluatis animas vestras.* Quod fiet primum, si serium, & efficax, & in omne tempus perpetuum contra omnes quoscunque ingruentes casus, inconcussum pro omni occasione, inviolabile, & constans, animi decretum habeamus; millies potiùs mori, quàm lethali nos scelere, unquam obstringere. Quo circa, ut ut res cadat, paratos nos esse opor-

oportet, si haberemus totius mundi possessionem, omnium potiùs eorum bonorum, commoditatum, favorum humanorum, atque ipsius etiam vitæ nostræ, quàm gratiæ Divinæ, & DEI ipsius, summi nostri boni, per delictum mortale jacturam facere. Deinde, ut eodem animi decreto etiam peccata venialia fugiamus, siquidem quodvis veniale peccatum, etiam minimum, pejus est morte, & jacturâ rerum temporalium omnium. *Longè melius est*, inquit S. Doroth: Serm: 20. *& Corpus suum & omnia corporea perire simul, quam lædi animam suam, in re etiam minima.* Imo tanta fæditate repletur anima, unico peccato veniali, & tantum illud, licet minimum, displicet Dei purissimis oculis; ut si unicâ cogitatione, vel verbo otiosô, redimere possemus omnes ex inferno damnatos, non tamen id facere deberemus. Cùm ex mente Apostoli, nunquàm sint facienda mala, ut inde eveniant bona, nec debeat DEUS, infinita illa Majestas, & Bonitas, ullius, etiam maximi boni intuitu, vel levissimè offendi: Unde S. Hieron: scribit: *Sane*

nescio, an possumus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Estquè ille prudentissimus, qui non tam considerat, quid jussum sit, quam illum, qui jusserit, nec quantitatem imperij, sed imperantis cogitat dignitatem. Vide nunc, an hac veste cor tuum vestitum sit.

Considera: 2. Cor nostrum vestiendum esse simplicitate, ut quis sit cum S. Job Vir simplex, & rectus, soli Deo in omnibus placens. Quod obtinebimus, si dignam concipiamus æstimationem de cordis, & intentionis simplicitate, certòque nobis persvadeamus, non posse majus, pro nostris operibus præmium, aut excogitari, aut appeti, quam bene placitum Divinum: *Si omnino dignus fueris, agere aliquid,* inquit præclarè S. Chrysost: Libr: 2. de compunct. Cord: *quod Deo placuerit, aliam ne require mercedem, præter hoc ipsum, quod placere meruisti; si enim aliam requiris mercedem, verè ignoras, quantum bonum sit placere Deo: si enim scires, nunquam aliquid extrinsecum mercedis, aut muneris expeteres.* Hinc Angelicus Thomas

lauda-

laudatus à Deo, quod benè de se scripserit, ideoque quam mercedem peteret, rogatus *non aliam, nisi te Dñe*, respondit: Merito igitur S. Chrysost Hom: 21. in Matth: illum in se ipsum crudelem Tyrannum esse dixit; qui potest aliô contentus esse præmiò, quàm DEO. Hinc, qui simplex est corde, omnia sua opera, quantum fieri potest, maximè, si præclara sint, & insignes sui ipsius victorias contineant, libenter in occulto facit, ut asvescat humanam laudem, & æstimationem, non appetere, sed solo Dei beneplacito, contentus esse, quod si verò, opus occultari non potest, aut debet, sequitur consilium M. Gregorij, qui ait: *Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum.* Vide, an tali habitu cor tuum vestitum sit ?

Considera: 3 Cor vestitum humilitate, Deo esse gratissimum: *Nihil tam gratum Deo*, ait S. Ludov: Epis: Tol: *quam si vitæ meritò magni, humilitate simus infimi,*

ſimi, cum tantò quis Deo ſit gratior, & pretioſior, quantò propter eum, ſibi eſt vilior. Unde S. Ambro: ait: *Si gloriandum eſt Chriſtiano, de humilitate gloriandum eſt, qua creſcitur apud Deum.* Hinc S. P. N. Auguſtinus: *Altus eſt DEUS, humilias te, & deſcendit ad te, erigis te, & fugit à te, quare? quoniam inquit excelſus eſt, & humilîa de proximo reſpicit, ut attollat, ut bonîs repleat; alta, id eſt, ſuperba de longè cognoſcit, ut deprimat.* Et in vitis PP. dicitur: *Omnis labor monachi, ſine humilitate vacuus eſt, humilitas enim eſt præcurſor Charitatis, ſicut Joannes Chriſti, omnes trahens ad eum, ita humilitas trahit ad Charitatem, id eſt, ad ipſum Deum, quia Deus charitas eſt.* Ideo monet Thom: Kemp: *Non ſit tibi cura, de magni nominis umbra, non de multorum familiaritate, nec de privata hominum dilectione; iſta enim generant diſtractiones, & magnas in corde obſcuritates. Eſto providus, & vigila, in orationibus, & humilia te, in omnibus.* Libr: 3. Cap: 24. quia nihil habemus, unde ſuperbiamus. DEUS eſt, qui corpus & animam noſtram conſervat, qui gratijs ſuis ju-

vat,

vat, & excitat, qui omnipotenti influxu aſſiſtit; ut benè operemur; adeoque minima omnino portio in opere bono, noſtra eſt, unicus videlicet aſſenſus, quem gratiæ Divinæ præbemus. Jam verò, opera noſtra, etiam bona, quot imperfectionibus ſcatent? quàm ſcientia noſtra eſt modica, & multis ignorantijs admixta, ſcimus aliquid, ſed multo plura ſunt, quæ neſcimus. Jdeo hortatur nos Apoſtolus: Induimini Dominum JESUM Chriſtum; quò induti, erimus veſtiti humilitate, ut pote, qui ipſa humilitas eſt, unde dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*

CONSIDERATIO XVIII.

De Charitate DEI.

REGULA.

In omnibus, quibus utitur tranſitura neceſſitas, ſuperemineat, quæ permanet Charitas. Cap: 6.

Conſidera: 1. QUod Charitas DEI, in omnibus, ſemper ſuper emine-

eminere debeat, quia virtutum præſtantiſſima eſt: *quomodo enim oleum*, inquit S. Pater Serm: 42. de temp: *Omnibus humoribus, ſuperius eſſe cognoſcimus, ita Charitas omnibus virtutibus, ſublimior comprobatur, quæ etiam cum Beatis in cælo manebit, per omnem æternitátem.* Unde Apoſtolus: *nunc* inquit Cor: 13. *manet fides, ſpes, charitas, quia in cælo ceſſabit fides, cum DEUS videbitur facie, ad faciem, ceſſabit ſpes, cum, quod ſperabatur, jam obtinetur: ceſſabunt, & alij virtutum habitus, ſola charitas cum Beatis manet; quia per eam, utpote virtutum perfectiſſimam diligunt DEUM.* Jdeo adhortatur Apoſt: Coloſs: 3. *Super omnia charitatem habete; quod eſt, vinculum perfectionis, quâ ſcilicet cum Deo fortiſſimè connectimur, ut nullâ vi, aut potentiâ, ab eo, ſeparari valeamus, quis enim nos ſeparabit, à Charitate Chriſti &c.* Rom: 8. ſcimus, quoniam diligentibus DEUM, omnia cooperantur in bonum, etiam, quæ moleſta eis ſunt, tribulationes, dolores, & mors ipſa. Quid enim eſt omnia? ait S. P. N. Lib: de Grat: & Lib: arb:, niſi & ipſæ terribiles, ſævæ-

que

que passiones? Sanctus autem Bern: ib: de Amor: Dei: *Vultis, inquit, â me audire, quare, & quomodo, est diligendus DEUS? & ego dico, quod causa diligendi Deum. DEUS est. Modus diligendi, sine modo diligere. Ob duplicem causam dico, DEUM propter se diligendum, vel quia nihil justius, vel quia nihil fructuosius, diligi potest, siquidem amabimur, & inhabitabimur à Deo,* ut Christus Joan 14. promisit, dum dixit: *Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*, ex qua Deitatis communicatione, sequitur, animæ nostræ, summa cum Deo unio, elevatio, & quasi Deificatio, ita, ut, homo fiat Dei filius, & hæres Regni cælestis, omniaque ejus opera eleventur ad summam dignitatem: ita, ut sint opera Filij Dei, & cælo digna. Quare sicut genuinæ aquilæ, proles ad solis intuitum examinantur, ita Filij Dei adoptivi, in hoc probantur, si per affectum Charitatis, DEUM, irretortîs oculîs intuentur. Quod si creaturam aliquam plus diligunt, quàm DEUM, adulterinæ proles sunt, & proinde abijciendæ, è nido perfectio-

fectionis Divinæ, & ſalutis: *Quanto autem flagrantiùs*, ait S. P. N. *Deum diligimus, tanto ſereniùs, eum videbimus.* Vide ergo, an, & quomodo charitas tua, erga DEUM, ſemper in omnibus ſuper emineat? Da mihi Domine DEUS meus ut diligam te intellectu ſine errore, memoriâ ſine oblivione, & voluntate ſine contradictione, ſic enim anima mea, nunquam errabit in amore tuo; ut tibi, aliquam creaturam æquet, aut præponat. Nunquam obliviſcetur, aut momentum, amoris tui Divini, qui ſemper præſens es, nunquam contrarium ſentiet, amore tuo DEUS. Fac Domine, ut ſic in terra diligam te, propter te, ſicut in cælo diligam te. Sola tua Divinitas, & nulla mea utilitas, trahat me, ad amandum te. O utinam dirigat cor meum, & lingvam meam, tuus amor, ut, ita laudem, & amem te, ſicut qui coram, vident, laudant, & amant te, da, ut tota die actiones meæ, & tota nocte ſomnus meus, non taceant laudantes te *&c.*

Conſidera: 2. Charitatem noſtram erga Deum, in omnibus ſemper, debere

ſuper

ſupereminere; quia, hoc eſt primum, & maximum mandatum; ut DEUM diligamus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & omnibus viribus noſtris. Quid eſt autem, inquit Author oper: imperf: diligere DEUM ex toto corde? hoc eſt, ſuper omnia, ut cor tuum non ſit inclinatum ad ullius rei dilectionem, ampliùs, quam ad Dei: nec delecteris in aliqua ſpecie mundi ampliùs, quàm in Deo: non in honoribus, non in auro, & argento *&c.* ſed hæc omnia æſtimes, tibi eſſe in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Et S. P. N. Auguſtinus dum dicit, (inquit Libr: 1. cap: 22. de doct:) Chriſti, toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ noſtræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re frui velit; ſed quidquid aliud diligendum occurrit, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Verus enim amor Dei, 1. nihil præter ipſum ipſum æſtimat, & deſiderat, quemadmodum Thom: Kemp: Libr: 2. Cap: 5. hortatur dicens: *Nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi ſit, niſi purè*

DEUS, aut de Deo sit; amans quippe Deum anima, sub Deo despicit universa. 2. Verus Dei amor, jugem Dei memoriam fovet, ita, ut quemadmodum S. Bern: cap: 6. medit: loquitur, *omne tempus, quo de ipso non cogitas, perdidisse te computes: sicut enim nullum est momentum, quò homo non utatur, vel fruatur bonitate, et misericordià Dei, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem, non habeat in memoria.* 3. Verus Dei amor, vult soli Deo placere, atque adeo, semper facere conatur, quod magis Deo placet; eo modo, qui magis Deo placet, & puriùs, quia Deo magis placet. *Illud autem quoad substantiam*, ait Tob: Lohner Soc: JESU, Deo *magis placere censetur, quod plus charitatis continet, illud autem plus charitatis continet, quod magis difficile est, sive majorem abnegationem involvit, vel in quo aliquis plus abstinet, aut sustinet, vel quod non tantum ad propriam, sed alienam etiam salutem promovendam dirigitur.* Quo ad modum verò, Deo magis placet, qui diligenter, alacriter, & constanter operatur: & quo ad finem, denique magis Deo placet,

cet, qui minus de ſolatio, præmio, aut laude humana pro operibus ſuis, quærit, aut admittit Unde facile patet, an, & quomodo amor tuus, erga Deum, hucusque in omnibus ſupereminuerit, aut ſaltem inpoſterum, ſupereminere debeat?

Conſidera 3. Amorem DEI, in omnibus, ſupereminere debere; quia ipſe prior dilexit nos. *In charitate perpetua dilexi te* ait per os Jerem: c. 31. & qui ita, ab æterno nos dilexit, in tempore creavit nos, non monſtrum, ſed hominem, ad imaginem ſuam, animam ſpiritualem, immortalem, & beatitudinis æternæ capacem; creavit nos, & naſci, nos fecit, non tempore diluvij, ſed Chriſti: non inter Hæreticos, & infideles, ſed inter Catholicos, in vera Eccleſia, ubi prodeſſe nobis poſſit paſſio, & mors ſua amariſſima. Numera, ſi potes, beneficia, quæ DEUS tibi præſtitit, & adhuc præſtare paratus eſt? & cur hoc? ut ametur. *DEUS enim*, ait S. Bern: *non ad aliud amat, niſi ut ametur.* Amemus igitur DEUM, quantum poſſumus & deſideremus eum amare,

plus quam poſſumus. Amor DEI verus, omnes potentias, ſenſus, affectus, operationes, cogitationes, & intentiones trahit in DEUM, ut nonniſi DEUM cogitet, intendat, deſideret. Et quemadmodum Jonathas qui Davidem diligebat, quaſi animam ſuam, ſe ſpoliavit tunicâ suâ, eamque dedit Davidi, cum reliquis veſtibus ſuis, uſque ad gladium, arcum, & baltheum, quò qui ſpoliaretur, exautoratus cenſebatur, ita verus amator DEI, quidquid in anima ſua pretioſum habet, virtutes, ſcientias, labores, ſtudia, ſermones, cogitationes, ipſum denique cor ſuum libentiſſimè ei donat, omnia ad DEUM dirigens; ubi enim theſaurus, ibi & cor ipſius eſt. Hinc loquitur S. P. N. Auguſtinus: *anima*, ait, amans, debet continuò ſtare in præſentia DEI, & habitare intra DEUM, ſicut intra favum mellis habitat apis, quæ ita ſe ei includit, ut non aliud, niſi mel videat, guſtet, & tangat: ſic illa non aliud, niſi Divinam ſvavitatem, aut in ipſo DEO, tanquàm fonte; aut in creaturis, inſtillatam guſtet. Vide nunc, an ſic, aut quomodo, Charitas

ritas DEI in te ſuper omnia, ſemper e-minet?

CONSIDERATIO XIX.

De Refrænanda cupiditate, & abnegatione ſui.

REGULA.

Suæ cupiditati, non obediatur: Cap: 7.

Conſidera: 1. Quod ſi veri diſcipuli eſſe, & nudi nudum JESUM ſequi deſideramus, exuere debeamus omnem inordinatum affectum ad nos, & commoditates noſtras, imo, ad ipſam vitam. *Age:* inquit S. Bern· *qui relinquere diſponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento.* imo verò maxime, & principaliter, abnega te ipſum, ſi deſideras ſequi illum, qui exinanivit propter te ſemetipſum. Ideo carni noſtræ negandum eſt, quod ad vitæ conſervationem, & valetudinem, non conducit: *Semper mortificationem,*

JESU Christi, in corpore nostro circumferentes, ita, ut nunquam, secundum carnis, sed rectæ rationis, & Spiritûs dictamina, vivamus. Quod autem, ad corporis valetudinem spectat, cavendum sollicitè, nè ad eam conservandam, nimis anxie, commoditatibus inhiemus, quæ subinde, non solum nostro statui, sed & ipsi, quam quærimus, valetudini adversantur. Hinc non est, reperire magis ægros, quam qui sub prætextu invaletudinis, suorum appetituum servituti, se dedunt, opinantes omne id, ipsis prodesse, quod delectat, licet in rei veritate, plus noceat. *Amor tui ipsius magis, nocet tibi*, ait Kemp: lib 3. C. 27 *quam aliqua res mundi, secundum amorem & affectum, quem geris, quælibet res plus, vel minus adhæret. Si quæris hoc vel illud, & volueris esse ibi & ibi propter tuum commodum, & proprium beneplacitum, magis habendum nunquam eris in quietitudine, nec liber à sollicitudine, quia in omni re, reperietur aliquis defectus, & in omni loco erit, qui adversetur.* Vide nunc, quomodo cupiditates tuas frangere, teque abnegere velis?

Con-

Considera: 2. Nos esse, milites Christi, qui ad ipsus imperium, cupiditatibus, & voluntatibus nostris vim inferre, & sic cælum rapere debemus. *Qui sunt violenti illi*; ait Cass: Coll: 24 cap: 26. *qui Regnum cælorum rapiunt? nempe illi, qui non alijs, sed voluntatibus suis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili omni se præsentium rerum voluptate fraudant, & voce dominica, egregij direptores pronuntiantur, & per ejusmodi rapinam, Regnum Cælorum violenter invadunt, isti sunt, profectò laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suæ. Perditio nostra, est oblectatiò vitæ præsentis, & ut expressiùs dicam, executio voluntatum, desideriorumq; nostrorum.* Cui enim, cupiditas dominari dicitur, teste S. Greg: hom: 15. mor: subiectus malis omnibus demonstratur, quia secundum Petrum Rav: *omnium malorum radix est cupiditas, transgressionis mater, magistra nocendi, primipila iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fovea scandalorum.* Quis ergo, hæc considerans, suis cupiditatibus bellum non indicat? cum

perfecta victoria sit, teste Thoma Kemp: in Persona Christi Lib: 3.c.53. loquentis, de semetipso triumphare. *Qui enim semetipsum subiectum tenet, ut sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi; hic verè victor est sui, & Dominus mundi. Si ad hunc apicem scandere gliscis, oportet viriliter incipere, & securim ad radicem ponere, ut evellas, & destruas, occultam inordinatam inclinationem, ad te ipsum, & ad omne privatum, & materiale bonum.* Vide, quomodo, ut bonus miles Christi JESU, agas & agere velis.

Considera: 3. Nos cum Christo, cruci affixos & omnibus inordinatis desiderijs; mortuos esse debere, qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitijs, & concupiscentijs, ad Gal: 5. *Patres Sancti,* inquit S. Dorot: *& majores nostri, sibi ipsis, mundum crucifigentes, per dura certamina se se quoque mundo crucifixerunt; nos vero, videmur nobis ipsis mundum crucifixisse quia reliquimus eum, & ad monasteria divertimus; at nolumus nos mundo crucifigere, adhuc enim in animo nostro, ait, vigent blanditiæ illius, adhuc in nobis ipsius affe-*

fe-

fectum abscondimus, compatimur ipsius gloriæ, compatimur delicijs, & voluptatibus, compatimur ornamentis, & vestibus, ob viles, & inanes res delabimur plerumque ad pristinas ejus passiones, quod sanè non nisi ex amentia provenit, ut qui pretiosas, & magnas res reliquimus, ob minimas plurimum perturbemur. Atque id à nobis pessimè agitur; ut enim mundo, & ejus rebus abrenuntiavimus, ita & pristinis ejus passionibus, abrenũciare debemus. Plerique defectus, quos committimus, ait Alph: Rodriq, *inde ut plurimũ ortũ habent; quod vel nos, in laboris ac difficultatis, alicuius susceptione non superemus, & mortificemus, vel aliqua deletatione, ac voluptate carere nolimus.* Et Joan: Weyer Soc: Jesu: *omnis creatura,*inquit, *aut nos delectat aut mærore afficit.* Si te delectat 1. Lauda creatorem ut dum vides rem pulchram dic: o DEUS meus, quanto tu pulchrior es! o pulchritudo infinita, te toto affectu amo. Si gustes rem sapidam, o! quanto tu DEUS es sapidior! *&c.* 2. Subinde te, eâ voluptate priva, & ad DEO magis placendum noli videre, audire, olfacere, gu-

stare

ſtare, tangere id, quod ſenſibus gratum, & iucundum eſt, & hic modus eſt, priore longè excellentior, quod DEUS aliquando S. Brigittæ dixit: *quod is, qui ſe abſtinet, & cohibet, nè reſpiciat, audiat, odoretur, guſtet, loquatur, tangat omne id, quod illi, neque neceſſarium, neq; utile eſt, & ſuæ ſenſualitati, etiam in rebus minimis reſiſtit, plus obſequij præſtet DEO, quam ſi mortuos ad vitam revocaret.* Vide nunc, & expende, quomodo te ipſum abnegare debeas, & velis.

CONSIDERATIO XX.

Quis ſit Famulus DEI.

REGULA.

Famulo DEI dicenti, quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur. Cap: 7.

Conſidera: 1. Servum DEI, ut eius, qui ſolus verè eſt: *magnus Dominus, & laudabilis nimis,* Pſal: 47. excellentiam celebrare, & quaquâ divulga-

vulgare valeat, debere, hujus tanti Domini sui, magnam sibi comparare cognitionem, siquidem præcipuum omnium bonorum caput est, hæc cognitio, quam Christus ipse vocat vitam æternam, inquiens Joan: 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM &c.* in quæ verba S. Augustinus ait: *Si cognitio DEI est vita æterna, tanto magis vivere tendimus, quanto magis, in hac cognitione proficimus.* Hinc suspirat *Cognoscam te, DEUS, cognitor meus! cognoscam te, DEUS, cognitor meus? cognoscam te, virtus animæ, expelle tenebras mentis meæ, ut videat te intelligendo, ut cognoscat te comprehendendo, diligat te cognoscendo, quisquis enim cognoscit te, diligit, se obliviscitur, amat te plusquam se,* & alibi, *Domine JESU noverim te, & noverim me, ut oderim me, & amem te.* Jdeo S. Jgnatius Loiola hanc notitiam DEI omnibus optavit, in DEI amore totus ignitus exclamans. *O DEUS meus! amor cordis mei! O si te homines nossent, Tantæ enim bonitatis est DEUS Dominus noster, ut mereatur amari, amore infinito. Tantæ pulchritudinis*

quam nemo clarè intuebitur, qui non plus millies, ipſum amet, quam ſemetipſum. Unde, ſi DEUS vultum ſuum revelaret dæmonibus, à quibus modo, atrociſſimis impetitur blaſphemijs, non poſſent, non verſo in benevolentiam odio, multiplicatis laudibûs, maledicta commutare. Tantæ *potentiæ*, ut poſſit uno verbo infinitos creare mundos, & in momento, eos denuò deſtruere. *Tantæ Sapientiæ*, ut penetret etiam cordium intentiones. Tantæ *Providentiæ*, ut ſit ſemper intentus, ad benefaciendum nobis. Tantæ *immenſitatis*, ut omnes homines, coram illo, ſint infinities viliores, & abjectiores, quàm minima arenula, comparata vaſtiſſimis cælorum orbibus. *Omnes enim gentes, quaſi non ſint, coram eo,* Jſai 40. Expende nunc, an, & quomodo, hanc immenſam DEI & Domini tui, Majeſtatem æſtimaveris & laudaveris: an verò ſæpe, neglecta DEI laude, laudem tuam vanam quæſieris?

Conſidera: 2. Servum DEI, debere Dominum DEUM ſuum revereri; cùm verò reverentia, & honor exhibetur alteri, tanquam præſenti, hinc ſequitur,

ſi perfectus eſſe velit, ipſum debere, DEI Domini ſui, omnipræſentiam ſemper reſpicere, & ubique venerari. *Quærite Dominum, & confirmamini*, canit Pſaltes Pſal: 104. *quærite faciem ejus ſemper*. Ubi S.P.N. Auguſtinus ait, *Facies DEI, eſt DEI præſentia, confirmabitur, & ſtabilietur in bono, non tantum, qui faciem, & præſentiam DEI invenit in gloria, verum etiam, qui hic quærit in contemplatione*. Quâ autem ratione, DEUM nobis ſemper ante oculos præſentem, conſtituere poſſimus, docet idem S.P.N. Ep: ad Fort: ubi ait: *DEUS, totus oculus eſt, totus manus eſt, totus pes eſt, totus oculus eſt, quia omnia videt, totus manus eſt, quia omnia operatur, totus pes eſt, quia ubique eſt*, Porro præſentiæ huius continuæ fovendæ, & ſi varij aſſignetur modi, attamen Alph: Rodriques: p. 1. tr: 6. c. 4. *illum facillimum, ſuaviſſimum, & utiliſſimum cenſet, per quem omnes actiones noſtras dirigimus ad majorem DEI gloriam, eaſdem non ſolum clariſſimè conſpicientis, ſed & multiplici titulo vendicantis*. Proinde providè illum in conſpectu tuo ſemper iuxta illud

Illud Apoſtoli Corynt: 10 *Sive manducatis, ſivè bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Quaſi diceret in omnibus actionibus tuis, aut ſaltem quam potes frequentiſſimè, cor tuum ad DEUM ſuſtollito, atque his vel ſimilibus eum verbis alloquere: *Propter te Domine hanc rem facio, ut tibi placeam, tibique gratificer, quia, id ipſe fieri jubes, voluntas tua mea eſt, tuum beneplacitum meum &c.* Et hæc eſt optima, in DEI conſpectu iugiter ambulandi ratio, eaque admodum facilis, utilis magnamque perfectionem includens: hoc enim eſt, in continuo quodam amoris DEI exercitio verſari & continuò orare, quod à nobis Chriſtus requirit Luc: 18. dicens: *oportet ſemper orare, & non deficere.* Et quæ dari melior oratio poteſt? quam quod, ad majorem DEI gloriam, & honorem ſemper quiſpiam deſideret, unicum que ejus gaudium, & beneplacitum ſit gaudium, & beneplacitum DEI. Hanc ob cauſam Dion: Carth: non ſine ratione tradidit, eum, qui per affectus hos, & deſideria interna, in hoc exercitio,

studiosè perseverabit, tantam ex eo utilitatem capturum, ut suum ipse cor, brevissimo tempore, prorsus mutatum, & planè aliud factum se esse percepturus sit. Vide, quomodo coram DEO, ambulare velis?

Considera: 3. Verum DEI servum, pendere debere, ex solius DEI voluntate, se seque consumere, ad beneplacitum ejus, qui est Dominus omnium creaturarum. Jta quidem, ut quidquid agitur, per quamque seu corporis, seu animæ potentiam; quidquid sustinetur in quavis utriusque parte; omnia illa agat, & sustineat, hâc solâ intentione: *quia Deus vult*, idque sine omnimoda, rerum, temporum, locorum, personarum, exceptione, hæc enim inquit, Bened: Angel: Capuc: in Reg: perf: est via compendiosissima, ad veram perfectionem, & vitæ sanctitatem. Acquiesce ergo ei, ait S. Job cap: 22. & habeto pacem, per hoc enim habebis optimos fructus; nimirum, inter adversa, & prospera mutabilium temporum, tenens quandam imaginem æternitatis, prout S. Bernard: ait Serm: 21. in Cant: dum

te

te cæperis renovare, & reformare, in insigne illud antiquum similitudinis, æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippe, sicut ipse, ita & tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus Jdeo Thom: Kēp: Libr: 3. cap: 25. *non te magni reputes*, inquit, *aut specialiter dilectum ex stimes*, si in magna fueris devotione, atque dulcedine, quia in istis non consistit profectus, & perfectio hominis, in quo ergo Domine? in offerendo te, ex toto corde voluntati Divinæ, non quærendo, quæ tua sunt; nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate, ita; ut unâ æquali facie, in gratiarum actione permaneas, inter prospera, & adversa, omnia æquâ lance pensando. Vide an te ita habeas, aut certe habere velis?

CON-

CONSIDERATIO XXI.

De abnegatione propriæ voluntatis.

REGULA.

Non cum quibus ipſe voluerit, ſed cum quibus Præpoſitus juſserit, ire debebit. Cap: 7.

Conſidera: I. VOluntatem propriam, ſecundum S. Bern: eſſe illam, quæ non eſt communis cum DEO, & hominibus, ſed noſtra tantum; quando, quod volumus, non ad honorem DEI, non ad utilitatem fratrum, ſed propter nosmet ipſos facimus, non intendentes placere DEO, & prodeſse fratribus, ſed ſatisfacere proprijs motibus animorum. Hanc oportet abnegare, quia DEO gratiùs nihil offerre poſſumus. Certè nulla actio, etiamſi videatur optima, ſi ei inſit voluntas propria, DEO placere, & accepta eſse poteſt; ideo DEUS: *Rogant me*, inquit Jſai 58. *quare jejunavimus, & non aſpexiſti, humiliavimus animas noſtras, & neſciſti.* Reſpondet: *Ecce in die jejunij veſtri, in-*

venitur voluntas vestra. Hinc S. Bernardus: *grande malum*, ait, *voluntas propria, quâ fit, ut bona tua, tibi bona non sint, quia nihil, quod propriâ inquinatum sit voluntate, gustabit is, qui pascitur inter lilia.* Unde vult Nicol: Eschius exerc: 4. ut nos tanta vi includamus, in Crucifixa humanitate JESU, quasi jam defuncti, & mundo toti mortui essemus, ita, ut nostrum velle, & nolle, perfectè à nobis abijciamus, & ipsi soli in omnibus placere, & strictè obedire satagamus. Hinc inquit ulteriùs, nihil tibi amplius agere licebit, quantumlibet exiguum absque ipsiùs permissu, & licentia, quæ corde petenda erit, priùs obtentâ. Vide an, ita voluntatem abnegare velis?

Considera: 2. Fundamentum Religiosæ perfectionis, consistere in mortificatione, & abnegatione, propriæ voluntatis; uti sat clarè indicat Cass: dum ait Libr: 4. de instit: Cap: 8. *Communem olim fuisse inter seniores ascetas persvasionem, eos duntaxat ascendere posse, summa perfectionis culmina, qui didicerunt suas vincere voluntates, & studiosè in his,*

quæ

quæ animo contraria ſunt, fuerunt exercitati; & nullatenus poſse eum iram; aut triſtitiam, vel ſpiritum fornicationis extingvere, nec retinere veram cordis humilitatem, & cum fratribus perpetuam concordiam, & diutiùs in cænobio permanere, qui priùs voluntates ſuas, non didicerit ſuperare. *Coge* itaque monet S. Dorotheus, *te ipſum in cunctis, voluntatem tuam imprimis abſcinde*, ſi conſveveris voluntatem tuam amputare, habitum indues Chriſti gratiâ & miſericordiâ, quo omnia ſine reſiſtentia, aut repugnantia perficies, teque in perfectam libertatem aſſeres. Hinc B. Clim: *Sanctũ pronunciat illum, qui voluntati renuntiat. Jlle*, ait,*profecto Sanctus eſt, qui voluntati propriæ abrenuntiavit.* Cui ſubſcribit S. Jgnatius, cùm P. Ludov: Gonſalvo dixit: *Se totum fundamentum ad perfectionem Religioſam ponere in mortificatione, & abnegatione propriæ voluntatis.* Unde rogatus quidam ſenex, ut habetur in Vit: PP. quænam eſset angusta via ad cælum? reſpondit; *Anguſta & arcta via eſt, ut cogitationibus ſuis homo violentiam faciat, & abſcindat pro-*

pter Deum voluntates suas. Non igitur, sine ratione dicere solebat Taulerus, Ep: 8. Omnem diem amissam credite, quô Dei amore, propriam non fregistis voluntatem. Hinc monet Weyer Soc: JESU: nihil unquam præsertim ex eis, quæ sensibus sunt grata, aut ad quæ propendes, ante acceptes, nec agas, nisi credas te moveri, motivo supernaturali, ob beneplacitum Dei. Jdeo dum comedendum, cubitum eundum *&c.* subsiste non-nihil, ne impetu naturæ ad ea feraris: & duos actus elice. 1. piæ intentionis: *Propter te Deus.* 2. Abnegationis tui, & ora, ne inordinatè illis inhæreas, aut Spiritum extingvas. Vide, quomodo voluntatem, in his abnegare velis?

Considera: 3. Ab amore proprio, & propria voluntate, tanquam aggeribus, quibusdam impediri, flumen divinæ gratiæ, nè adeò se communicet, & expandat, ac redundet in animas nostras, ut Deus faceret, si hæc impedimenta abessent. Jdeo omni virtute laborandum est, ut penitus extirpetur, hæc propria voluntas. *Inter impedimenta,* ajebat Christus

ſtus B. M. Magdalenæ de Pazzis vit: p. 3. §. 1. *Donorum Spiritûs Sancti, non tantum ſunt ea peccata, quæ Deum expellunt ex anima, ſed & propria voluntas, & proprium Judicium eorum, qui modo ſuo volunt ſervire DEO, qui quidem deſiderant Spiritum Sanctum, ſed eum deſiderant eo modo, qui illis placet, & qui illis videtur, & ſic ſe reddunt inhabiles ad percipiendum eum.* Hinc S. Thomas: *Amorem proprium fontem omnis mali vocat,* ex quo quamdiu fluxerit, nihil aliud, quam exitium, & peſtis timenda ſint. *Omnia mala ex una radice pullulant, propriæ voluntatis,* ait S. Bernard: *unde enim ſunt ſcandala, unde turbatio, niſi quod propriam ſequitur voluntatem. Propria voluntas DEUM impugnat, & adverſus eum extollitur. Ipſa eſt, quæ paradiſum ſpoliat, infernum ditat, Sangvinem Chriſti evacuat, & ditioni diaboli mundum ſubjugat; caveamus igitur à propria voluntate, tanquam vipera peſſima, & nequiſſima, quæ ſola deinceps damnare poſſit animas noſtras.* Hæc S. Bernard: Nihil ergo, propter noſtram voluntatem explendam, aut cupiamus, aut faciamus; ſed ſemper id,

id. quod DEO magis placitum, magis ædificatorium, communitati, in qua agimus, conformius, & ad conſcientiæ noſtræ ſolidam quietem ſit expedientius. Jdeo Thom: Kemp: libr: 3. cap: 32. in Perſona Chriſti ait: *Utinam ad hoc perveniſſes, ut tui ipſius amator non eſſes, ſed ad nutum meum purè ſtares, & ejus quem tibi præpoſui Patris; tunc mihi valde placeres, & tota vita tua in gaudio, & pace tranſiret.* Vide igitur, quomodo voluntatem tuam abnegare, tibique mori velis?

CONSIDERATIO XXII.

Dé Bono Uſu temporis.

REGULA.

Extra horam, qui petierit, non accipiat. Cap: 7.

Conſidera 1. TEmporis pretium, *Tempus tantum valet, quantum valet DEUS*, ait S. Bern: quia in tempore benè conſumpto, comparatur

Deus

Deus. Unde S. Hieron: *nè dicas* inquit *priora tempora meliora fuêre quam nunc sunt, virtutes faciunt dies bonos, vitia malos. Dum enim tempus habemus, operemur bonum*, monet Apost: ad Gal: 6. Noverat Christus numerum dierum suorum & tamen dixit Joan: 9. *Me oportet operari, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari*, quantô magis nos, qui nescimus diem, neque horam? nescimus, an hujus diei, Ordinis nostri exercitia sint ultima, & an ijs non sint alligatæ gratiæ efficaces, & gratia finalis, sine qua non salvabimur. Cum ergo, hoc nesciamus, singula nostra ita peragere oportet, ac si ex quolibet, penderet nostra æterna salus. Christus Dominus, sic attendit tempus per totam vitam juxta beneplacitum Patris, ut quodlibet opus faceret tempore statuto, nec vellet tempus prævenire, nequè ad momentum ultra differre, ideo sæpè, cùm aliquid ab eo peteretur, dicebat: *Nondum venit hora mea. Nondum venerat hora ejus*; id est, quam æternus Pater præfixerat. In hoc ergo & nos imitemur Christum, ut omnia

noſtra faciamus tempore ſtatuto, nunquam ordinem invertentes, niſi neceſſitas, vel charitas, vel obedientia, aliud exigat. Vide an tempus ita obſerves?

Conſidera 2. Non ſolum tempus præſcriptum, ſed etiam, omnia temporis pretioſa momenta optimè inſumenda eſſe: *quis enim mente aſſequatur*, ait S. Laur: Juſt: ut pretioſum ſit tempus? aut quis lingvâ, caritatem ejus explicet? nôrunt qui amiſerunt; hi enim gratô animô erogarent opes, honores, delitias, & quidquid eſt voluptatis, pro unica hora; nam exiguo illo tempore, poſſent iram, & furorem Divinæ Juſtitiæ ſedare, Angelos exhilarare, Regnum adipiſci. *Nemo igitur veſtrum parvi æſtimet tempus*, monet S. Bernard: *quod in verbis conſumitur otioſis, volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile, nec advertit inſipiens, quid amittat; libet fabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec hora prætereat! quam tibi ad agendam pænitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promovendam gloriam miſeratio conditoris indulſerat. O donec tranſeat*

tem-

tempus! quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem &c. Non igitur defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Eccl: 14. aut pereat sine fructu, aut lucro spirituali. Cogita, si alicui animæ ex inferno, vel purgatorio, aut alicui Sancto, è cælo ad hanc vitam regredi daretur, quomodo hunc diem transigerent? imo, si tibi ipsi, post mortem idem concederetur, quomodo illum transigeres! *ecce nunc tempus acceptabile! ecce nunc dies salutis*, imitare igitur S. P. N. Augustinum, qui quanti faceret tempus, ipsemet testatur libr: 1. Confes: cap: 21. dum dicit: *Carò mihi valent stillæ temporum*; ut & tibi imposterum, omnes stillæ temporum carò sint.

Considera: 3. Nullum omnino tempus esse æstimandum, quod non bonis operibus consumitur; ut autem omnem diem ita consumamus, juvat quemlibet, ut ultimum suspectum habere, & ordinem sibi præscriptum, ad amussim observare, ita enim fiet, ut passionibus non abripia-

piamur, ad opera multa otiosa, & inutilia, cùm nimirum animus semper certo operi affixus sit: *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant in vobis*, præcipit Apostolus, 1. Cor: 14. siquidem non sufficit, opera per se bona facere, sed benè facere, & quidem tempore suo, purissima intentione, unicè propter Deum. *Imitemur Deum*, adhortatur S. Thomas opusc: 62 *Non solum optima faciendo, sed optimè faciendo.* DEUS enim, omnia opera sua, in summo benè facit, similiter & nos, diligentiã apponere debemus, ut singula opera nostra, quantum unquam meliùs possumus, faciamus. Ex omni virtute D. N. JESU Christi, & cum omni desiderio, triumphantis & militantis Ecclesiæ, & sub nomine Creatoris, quasi tota salus nostra, & omnis laus Dei, & universitatis utilitas, ex uno opere dependeat, quasi nunquam, ad id opus reversuri, neque opus aliud postmodum incepturi. Vide an, & quomodo hoc facere velis?

CON-

CONSIDERATIO XXIII.

De Cavendo murmure.

REGULA.

Sine murmure serviant. Cap: 7.

Considera: 1. MUrmurationem fugiendam esse, cùm homini coram Deo, nihil damnabilius sit, quam murmuratio, præsertim contra Prælatos, & Superiores, quia in ullo Populus Jsràél, in veteri Testamento teste S. P. N. Augustino, Deum, in tantum offendit, quam quando murmuraverunt adversus Superiores, quos DEUS ordinaverat, videlicet Moysen, & Aaron; *quemadmodum Moyses* dicit Exod: 16. *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* De huiusmodi hominibus vix spes est, quod proficiant in virtutibus; quia murmuratio est unica filia dæmonis infernalis cui cuncta pascere monasteria commisit. quam isti sibi desponsaverunt. O maledictum peccatum! o odibilis bestia, quæ omnia opera bona devorat, & pauperem animam non deiformem, sed dæmo-

dæmoni-formem efficit, & prænuncia eſt æternæ damnationis, ſiquidem ob hujus odibilitatem Dathan, & Abiron cum ſua progeniè oportuit viventes deſcendere in infernum cum corporibus ſimul, & animabus, ſicut & Chore, cum ducentis quinquaginta Viris, infernali igne comburebantur, ac corpore ſimul, & anima ad inferna deducebantur. Jta Harph: Theol: Myſt: par: 1. cap: 7. & Pater Eligius Baſæus Tom: 2. flor: Theol: Verb: murm: ait, *dolendum certè nimis, & utinam, ſicut hoc malum graviſſimum eſt, ita, & in plerìsque monaſterijs, non eſſet frequentiſſimum*, ſed pro dolor! familiare eſt factum, ut nusquam fere non reperiatur, nec de illo erubeſcatur, imò, ut nullum ferè malum, vel exiguum cenſeatur. Hinc ,nvenies, qui omnia Superiorum ſalubriter acta, in malum interpretantur, ac ore maledico temerè, & palam nuntiare non verentur: hoc nimirū meliùs, illud utiliùs: aut pulchrius, & commodiùs potuiſse ac debuiſse diſponi, atque ordinari; ac ſi tales, Superiorum ſuorum Judices forent conſtituti, & ſcrutari haberent,

quo

quo fine, intentione, modòvè, emanare debuissent. Vide quomodo hac in parte tu, te habeas?

Considera: 2. Solos murmurare, qui non amant. De quibus scribit Sant: jure de cognit: Christi par: 2. cap: 8. quod aliqui iverint, post album, & rubrum vexillum Crucis, non sine murmure. Quando B. Cathar: Raconisia, die Sanctorum Omnium ad locum æternæ gloriæ, à S. Joanne Evangelista ducta, videbat duos Angelos præcedentes, quorum alter fuisse dicitur Seraphinus, & præferebat vexillum crucis rubrum, & album, interroganti, quid nonnulli, qui sequebantur, murmurarent, dixit S. Joannes: *Non amantibus DEUM, viam cæli esse difficilem: esse jugum svave amantibus*: illis namque placet, quidquid placet Deo *voluntate beneplaciti*, sive ningat, sive pluat, sive serenum cælum arrideat, bellum, pax, morbi, sanitas, mors, vita, tristes prosperivè eventus. Placet illis, quidquid placet Deo *voluntate signi* expressa sono æris campani, voce Superioris, lege scripta, seu in Regula. Hinc, optimum remedium,

con-

contra murmurationem eſt. Totalis ſui reſignatio, & indifferentia ad loca, tempora, & exercitia; ad officia honorifica, & converſationem, talis enim, ſtabit immobilis, ſicut domus ædificata & fundata ſupra petram; ſicut Chriſtus ait Matth: 2. cap: 7. Ut verò murmuratio vel repugnantia faciliùs vitari poſſit, advertendum, eam ex varijs cauſis promanare 1. *Ex re imperata* cum ea vilis eſt, & abjecta, ut purgare aliquem locum *&c.* vel moleſta, atque difficilis, ut abſtinentiâ ſe mortificare; aut quando *honori mundano repugnat*, velut opprobria patienter ferre. 2. *Ex perſona*; eo quod habetur indiſcretus, ſimplex, ignarus, vel non adeò amicus. 3. *Ratione temporis*; ſi tunc recreationi, quieti vel pietati, & proprijs negotijs, vacare luberet. 4. *Ex qualitate Operis*; veluti, cum celeriter ſedulò, lentè, humiliter, & cùm ſui ipſius confuſione, ſuperbiæque repreſſione peragendum eſt. 5. *Reſpectu loci*; ut ſi is publicus, minus gratus, vel fædus eſt. Ex his, & ſimilibus cauſis, contradictio, murmuratio, ſe ſe ab initio operis, vel

inter

inter operandum ingerit, licet, ex unico propriæ voluntatis & amoris fontè scaturiant, debentque ex anima amoveri, memoriâ recolendo: *hoc est beneplacitum Dei &c.* Vide quomodo te habeas, & habere velis?

Considera: 3. Quomodo te inter murmuratores gerere debeas? 1. Sermonem murmuris, artificiosè aliò transferas, præsertim inter ignotos, ut ita, murmurantibus simul, & audientibus parcatur, fieri etenim potest, ut corrigens magis erret, quam is qui corrigatur. Jta Socrates concivem aliquando suum corrigebat, præsente Platone, paulò acrius, cui Plato, an non satiùs erat, inquiebat, de his illum privatim admonere? cui Socrates: nonnè & tu, rectiùs fecisses, hoc etiam mihi, seorsim dicendo. 2. Absentium intentionem, & zelum bonum excuses. 3. Subinde illos modestè corrigas. 4. Jllos fugias; quis enim non fugeret, si quẽ latrones, in suam societatẽ trahere vellent; quodsi vero evasioni locus non sit, nec eos impedire possis, saltem vultum severum, aut minus hilarem offendas. 5. Murmuran-

murantem lingvam, aliò non portes *audisti verbum adversum proximum tuum*, Eccl: 19. *commoriatur in te, si ens, quod non te dirumpet.* Quasi diceret, sepeli illud æternâ oblivione: non est enim, instar partûs mulieris, qui necessario emitti debet, propterea subjungit, *à facie verbi, parturit fatuus.* Id est, stulti sunt illi, qui putant, se retinere non posse, tale verbum. Vide quomodo te hactenus habueris?

CONSIDERATIO XXIV.

De Pace Fraterna.

REGULA.

Lites, aut nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis. Cap: 8.

Considera: 1. DEO summè placere, si diligamus, & custodiamus pacem, quam Christus Dominus, natus mundo inferre voluit, ut esset semper pax hominibus bonæ voluntatis. Deinde exiturus de hoc mundo, in

in ſermone ultimæ cænæ, tanto igne, illam commendavit; ut pectora illa Apoſtolica, quaſi incineraret. Redivivus vero multoties eis illam iterum apprecatus eſt, inquiens: *Pax vobis*, Conſiſtit autem hæc pax, in charitate fraterna, & animarum unione, de qua prædictum eſt Ezech: cap: 11. *Dabo eis cor unum, & ſpiritum novum tribuam in viſceribus eorum.* Jllum nimirum,de quo Chriſtus ait Joan: 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*, novo ſcilicet modo, ut ſitis cor unum, & anima una. Jdeo Apoſtolus rogat 1 Cor: 1. *Obſecro vos fratres, per nomen Domini noſtri JESU Chriſti, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti, in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Melior enim eſt* ajebat Card: Bellarm: *Uncia pacis,& charitatis, quam libra victoriæ.* Unde Sanctus P. N. Auguſtinus Serm: 12. de verb: Ap. inquit: *Nolo habere, cum quo litigem, multò eſt mihi optabilius inimicum non habere, quàm vincere.* Hinc optat Apoſtolus Coloſs: cap: 3. *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*, & Hebr: 12. *Pa-*

cem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit DEUM. O quam ergo bonum & jucundum est, ait S. P. N. Augustinus in Psal: 132. *habitare fratres in unum*, id est, qui sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis verè, quod scriptum est, una anima, & unum cor; multa quidem corpora, sed non multa corda. Vide quomodo hanc pacem amare, & sequi velis?

Considera: 2. Nos esse milites Christi, qui diabolum in se divisum, pace nostrâ vincere debemus: *Diabolus vos inveniat pace munitos, & concordiâ armatos*, ajebat Tertull: ad Martyres; *quia pax vestra bellum est illi. Castrorum acies ordinata, tunc hostibus terribilis* ostenditur, inquit Rupert: in cap: Cant: *quando* ita fuerit stipata, & densata, ut in nullo loco interrupta videatur, namsi locus vacuus, per quem hostis posset ingredi, dimittitur, profectò jam suis terribilis non est. Et nobis ergo, cum contra malignos Spiritus, Spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, ut charitate semper uniti,

atque

atque constricti, & nunquam interrupti, per discordiam inveniamur, quia quamvis quælibet bona in nobis fuerint, si charitas desit per malum discordiæ, locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos, valeat hostis intrare. Necesse autem est, inquit S. Chrysost: Hom: 34. in Gen: internam, & externam simul pacem tueri; alias quamvis plurima pace, & curâ externâ fruamur, si intra nos cogitationum nascitur tempestas, tumultus, & seditio, nihil externa pax nobis proderit, sicut, & neque miserabiliùs est, aliquid civitate, quæ licèt præsidijs, & muris benè munita sit, intus tamen foveat Cives proditores: *Vivamus igitur pacifici, similes exercitibus cælestibus; quia Angelicis, & Cælestibus copijs, nihil tàm proprium est*, inquit S. Gregor: Naz: *quam pax & concordia.* Proinde qui pacis bonum amplexantur, dissensionemquè oderunt, ad Divinas mentes accedunt. Vide quomodo pacem colere velis?

Considera: 3. Quod Deus amet amatores pacis, ut filios; ideo ait Christus: *Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei voca-*

buntur, è contra, odio habeat amatores diſcordiarum: *Si enim Filij Dei vocantur, qui pacem faciunt*, ait S. Gregorius: *procul dubio Sathanæ ſunt Filij, qui pacem confundunt.* Hinc S. Anſelmus dicere ſolebat: eos, qui in hac vita conformant ſe aliorum voluntati (ſalvâ æquitate) & cum eis pacem colunt, id à Deo mereri, ut poſt hanc vitam ſe ac commodet eorum voluntati; & cum eis quoque pacem colat; eos verò, qui diſcordias amant, pari modo, poſt hanc vitam neminem reperire, qui eorum ſe accommodet voluntati; juxta cenſuram illam: *quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.* Amplectamur ergo ut filij lucis, pacem; quæ eſt ſecundum S. Gregorium *veſtigium pacis æternæ.* Et teſt. S. P. N. Auguſtino: *tale bonum eſt, bonum pacis, ut in rebus creatis, nil gratioſius ſoleat audiri, nil delectabilius concupiſci, et nil utilius poſſideri.* Siquidem ut dicit S. Chryſoſt: *Pax omnis gaudij eſt materia.* Vide nunc, quomodo diſcordiam fugere, & pacem ſectari debeas & velis?

CONSIDERATIO XXV.

De Supprimenda ira.

REGULA.

Nè ira creſcat in odium. Cap: 8.

Conſidera: 1. IRam eſſe, peſtem ſocietatis humanæ, quia tollit ipſius ſummum bonum, & arctiſſimum vinculum, nimirum concordiam, & vitam ſocialem; *quis enim poteſt habitare cum homine, cujus Spiritus facilis eſt ad iraſcendum?* ait Spiritus Sanctus Prov: 18. Et S. Chryſoſt: nihil iracundo homine inſvaviùs, nihil gravius, nihil infeſtius, turpius nihil; ſicut contra nihil eſt, iraſcendi neſcio jucundius. Feræ potiùs, quàm iracundo homini conhabitandum eſt, nam illa, cum ſemel manſvefacta fuerit, ſuam ſervat legem, hunc autem quoties mitigaveris, rurſum efferatur. Per iram, Juſtitia relinquitur, ait S. Gregor: dum perturbata mens, judicium ſine ratione exaſperat, omne, quod ſuggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ ſocialis amit-

amittitur. quia, qui ſe ex humana ratione non temperat, neceſse eſt, ut beſtialiter vivat, per iram manſvetudo amittitur, concordia rumpitur, & lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia, confuſionis tenebras incutit, huic DEUS radium ſuæ cognitionis abſcondit. Jdeo admonet Apoſtolus Eph: 4. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, tollatur à vobis cum omni malitia.* Et S. Baſil: *Nè fratres, inquit dilectiſſimi, malum malo curate, nec contendite invicem clamoroſitate mutuâ vincere, in rixa enim is inferior eſt, qui victor eſt, ac peccatis longè gravior diſcedit.* Vide nunc, quomodo iram vincere, & ſupprimere debeas & velis?

Conſidera: 2. Jram facere hominem Chriſto diſſimilem, eumque excludere ex illius ſchola, in qua nonniſi manſvetudo, & humilitas diſcitur. Quapropter Chriſtus aliquando S. Birgittam propter iræ motum leniter reprehendens, eidem dixit: *Ego Creator & Sponſus tuus, propter te ſuſtinui verbera, tu verò impatiens adeo fuiſti, ut verba portare non potueris. Ego ſtans ante Judicem*

dicem tacui, & non aperui os meum, sed tu acerbiùs respondendo, & exprobrando, vocem tuam nimis exaltasti. Tu debueras omnia patienter tolerare propter me, qui clavis affixus fui pro te: debueras per patientiam eum, qui erravit, ad meliora provocare; Sis ergo posthac cautior, & ubi ab aliquo ad iram provocata fueris, non facilè loquaris, donec ira ab animo tuo recedat, transacta autem animi commotione, & causa ipsius commotionis diligenter pensata, poteris loqui cum mansvetudine, quod si loquendo nihil proficeres, & tacendo non peccares, meliùs faceres, & majus meritum acquireres, si sileres: itaque & nos ori nostro silentium indicamus, ac animi commotionem intus comprimamus, ne ira crescat; sicut enim flamma, candelæ emunctorio compressa, statim extingvitur, ita interior iræ commotio, silentio & dissimulatione cohibita, sensim paulatimque commoritur. *Tu acceptâ fortè injuriâ*, monet S. Bernardus, *non continuo more sæculari obliquè referire*, sed neque sub specie quasi corripiendi, verbô acutô, & urenti transfigere audeas, ullatenus

nus animam, pro qua Christus affigi, cruci dignatus est. Non grunnire, quasi increpando; non labijs mussitare, quasi murmurando, non narem contrahere, aut cachinnare, quasi subsannando, non frontem rugare, quasi invehendo, aut comminando; sanè commotio tua ibi moriatur, ubi oritur; nec permittatur exire, quæ mortem portet, ne perimat ut dicere possis & tu cum Propheta, turbatus sum, & non sum locutus. Vide quomodo hoc facere velis?

Considera: 2. Nè injurianti irascamur, nos oculos nostros conijcere debere, non in illum, qui injuriam facit, sed in Deum hanc permittentem, & in bonum nostrum ordinantem. Nè simus tam infantes, ut medicinam à sapientissimo medico, & benignissimo Patre præparatam, cum indignatione respuamus, cum injuria & clamore reijciamus: sic profectò David, injuriam medicinam cogitabat, qui à Semei maledictîs proscissus, dixit filijs Sarviæ; dimittite, ut maledicat, Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: *Vetuit prohiberi maledicum convitiantem*, inquit S. Bernardus:

quæ-

quæstum æstimans maledicta, & addidit, *Dominus misit illum ad maledicendum David, prorsus secundum cor Dei, qui de cor e Dei ferebat sententiam, sæviebat linguâ maledicâ, & ille intendebat, quid in occulto ageret DEUS, vox maledicentis in auribus, & animus se inclinabat ad benedictionem. Nunquid in ore blasphemi DEUS? absit, sed eo usus est ad humiliandum David*, hæc S. Bernardus Serm: 34. in Cant: Si ergo DEUS fratre, aut quocunque alio utatur ad humiliandum nos, ad sanandum nos, ad perficiendum nos, ad fabricandam coronam nostram, nè recalcitremus iracundè, in Dei instrumentum minas intendendo, sed nobis persvadeamus, nec justis, nec injustis ex causis esse, adversus fratres irascendum: quoniam ira immoderata, ex quacunque causa concepta intellectum obscurat, mentis puritatem contaminat, Spiritum Dei, qui est Spiritus pacis, in nobis contristat, fiduciam ad orandum adimit & ad mortem nos præparare non sinit. Vide ergo, quomodo te habere velis?

CON-

CONSIDERATIO XXVI.

De Condonanda Injuria.

REGULA.

Quicunque convitiô, vel maledictô, aliquem læserit, meminerit satisfactione quantociùs curare, quod fecit, & ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Cap: 8.

Considera: 1. SI nos irasci contingat, iram subito deponendam, secundum Apostolum ad Eph: 4. *Sol non occidat super iracundia vestra. Quemadmodum enim,* ait S. P. N. Augustinus, *acetum corrumpit vas, si diutiùs ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. Et alibi: si ergo irasceris, inquit, nè occidat sol iste in corde, super iracundiam tuam, ne forte & occidat tibi, sol justitiæ.* Sanè, nullum opus tuum bonum, & Deo gratum erit, aut à Deo acceptabitur, quamdiù à proximo per iracundiam discordas. Jdeo Christus Matth: 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris,* quod

quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Quæ causa tantæ festinationis? quia, respondet S. P. N. Serm: 16. de verb: Dom: *Te quærit DEUS magis, quam munus tuum.* Quam citissimè igitur excutiamus iram, & redeamus in amicitiam cum fratre. *Ante omnia, monet* S. Bonaventura: *Si perceperint se factô, vel verbô, aliquem, vel leviter offendisse, ante comestionem, vel somnum, eum humili studeant satisfactione placare, & in petitione veniæ prævenire, ne aliùs præveniens, de manibus eorum, humilitatis mercedem surripiat.* Vide, quomodo hoc facere velss?

Considera: 2. Quâ mansvetudine Christus Dominus noster tot probra, vincula, verbera, & denique mortem ipsam ignominiosissimam pertulerit. In Cruce namque pendens, etiam pro suis Crucifixoribus oravit, & tacendo eorū nomina, eos excusans dixit *Pater ignosce illis*, non sine mysterio, inquit S. Anselmus; quia, si eos nominare deberet, deberet dicere, ignosce illis inimicis meis, cruci-

fixori-

fixoribus meis, hoc autem non patitur amor, qui inimicum nescit. Absit itaque à nobis, qui Christi discipuli esse volumus, aut fratrem inimicum habeamus, aut iram ei reservemus. Sanctus autem Bernard: Tract: de Pass: Cap: 8. act: Fecit Bonus Doctor, quod jusserat, orat non solum pro persequentibus, sed etiam occidentibus se, dicens: *Pater ignosce illis*, reconde inthesauro cordis tui. hoc verbum, ut quotiescunque sæviunt inimici, memoriam abundantiæ svavitatis JESU, valeas eructare, hunc Clypeum contra inimicorum insultus opponens. Puto autem; sit is, qui nos disturbat, indignus, cui condonemus; cui beneficium rependamus, pro quo oremus; dignus tamen est Christus, Judex illius, & noster venturus, pro quo, id faciamus. *Concorda, monet* S. P. N. *cum adversario tuo, nescis, quando vita finiatur, cum vita finita fuerit, Judex restat, & minister, & carcer, at si servaveris adversario tuo bonam voluntatem, & cum eo consenseris, pro Judice invenies Patrem, pro ministro sævo Angelum tollentem te in sinum Abrahæ, pro Carcere Paradisum.* Vide quomodo in hoc Christum sequi velis?

Consi-

Confidera: 3. Dictum eſse à Domino: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Magna peccata, non dimittuntur nobis, niſi nos parva, in nos à fratre commiſsa, illi manſvetudinis deſiderio condonemus. Optima negotiatio eſt, exiguo pretio rem admodum pretioſam còémere, appetenda induſtria eſt, parvo labore magnam dignitatem comparare, ſed multo meliùs, atque pretioſiùs, iracundiæ cohibitione, & modicæ injuriæ condonatione, multorum peccatorum indulgentiam obtinere. *Proinde,* inquit S. Leo; *memores infirmitatis noſtræ, qui facilè, in quælibet delicta prolabimur, hoc potiſſimum remedium, & iſtam efficaciſſimam vulnerum noſtrorum curationem, nullatenus negligamus, Remittamus, ut remittatur nobis, demus veniam, quam rogamus, & non ſtudeamus vindicare, qui nobis precamur ignoſci; certè á vindicta non abſtinet, qui interiùs, adverſus Fratrem iram concipit, nam pars vindictæ eſt, animo in illum inſurgere, vultu triſti, aut indignabundo reſpicere, & motum aliquem. aut verbum in ipſum contumeliæ proferre.* Vide nunc, ſi DEUS infinita

illa

illa Majeſtas, milleſies duriora, à te quotidie patiatur, tibique dimittat, an non tu parva, & pauca à proximo tuo pati, eique omnia ex corde dimittere debeas & velis?

CONSIDERATIO XXVII.

De Lingvæ cuſtodia.

REGULA.

Vobis à Verbis durioribus parcite.
Cap: 8.

Conſidera: 1. NOs lingvæ parcere, ſi illa ſit Sancta, & de rebus pijs loquatur. Pretioſa lingva, ait S. Hieron: quæ nonniſi de divinis rebus novit verba conſtruere, & Sanctum os, vnde cæleſtia eloquia proferuntur. Jdem Apoſt: Ephes: 4. adhortatur: omnis ſermo malus, ex ore veſtro non prodeat, ſed qui bonus eſt, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Hinc S. Jſid: diſce, inquit, bene loqui, corde

corde, ore, & opere; Corde bene loquitur, qui charitatem non ſimulat, ore benè loquitur, qui alios benè docet, & manſvetè corripit, opere benè loquitur, qui alios bonis exemplis ædificat. Corde male loquitur, qui interiùs cogitationes noxias meditatur, ore malè loquitur, qui pro eo, quod malè agit flagellatur, & murmurat: opere malè loquîtur, qui malè vivendo, exemplis ſuis alios ad prava agenda informat. Jdeo Clemens Alex: 3. Strom: *qualis ſermo, talis vita.* Et 2. Pedag: Cap: 5. *cum verba*, ait *à cogitatione promanent, non eſt arbor bona, quæ fructus malos facit, neque è contrario.* Pulchrè S. Climac: Grad: 26. ſicut is, inquit, qui fert aromata, etiamſi nolit ex odore proditur, ita & qui Spiritum Dei habet, agnoſcitur ex verbis ſuis. Hinc Sancti ſe Sanctos eſſe, Sanctis verbis manifeſtant, & etiam laceſſiti lingvam moderantur, quod in S. Michàéle obſervat Apoſtolus Judas in ſua Canonica dicens: *Cum Michàél Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſis corpore, non auſus eſt Judicium inferre blasphemiæ;*

ſed

ſed dixit, imperet tibi Deus. Ubi videmus, Michaélem, tametſi contumeliosè, à diabolo laceſſitum & cum eo contendentem, non fuiſse auſum maledicere, ſed temperaſse ſermonem, & cum modeſtia, citra maledictum aliquod, in Judicium DEI totum negotium remiſiſse, dicens; Imperet tibi DEUS, hoc eſt, DEUS judicet, & refrænet petulantiam tuam. Qualem lingvam tu habes?

Conſidera: 2 Nos lingvæ parcere, ſi illa ſit ſancta, & ſimul diſcreta & amabilis, ne ſcilicet de rebus Divinis ineptè vel ad ſatietatem ac faſtidium tractemus. Unde imprimis nos attendere oportet, de qua re ille, cum quo agimus libenter loquatur, & aliquamdiu in illa hæreamus: dicta illiùs & facta præſertim indifferentia, aut non manifeſtè mala, ſemper in meliorem partem interpretemur, & nunquam Judicium prodamus, quod alium, ex profeſso inſtruere intendamus: *Sicut vitta coccinea,* ait Divinus Sponſus Cant: 4. *labia tua, & eloquium tuum dulce.* Ubi ſeptuaginta ſic legunt; *Sicut funiculus coccineus labia tua.* Eſt enim propriè vitta funiculus

culus ille, seu filum vel rediniculum, quo mulieris crines ligantur, ornatûs, & decoris, & honestatis gratiâ; labia ergo animæ iustæ, comparantur vittæ rubeæ (qui color ab ardore procedit, charitas verò ignis ardens est) quia Justus, in hoc speciatim se justum exhibet, quod justa, & juxta Regulas charitatis circumspectè loquatur, ita, ut nihil proferat ore, quod vel ad Dei honorem, vel proximi bonum non spectet. Sunt autem nonnulli, qui labia soluta gerunt, & quidquid in buccam venerit, facilè effundunt; hi profectò vittam coccineam non habent in ore. Aliter S. Job, qui de se ipso testatur Cap: 28. *Qui me audiebant*, ait, *expectabant sententiam meam, Verbis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum, & expectabant me, sicut pluviam, & os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum.* Vide, qualis sit tua lingva?

Considera: 3. Nos lingvæ parcere, si illa sit innocua. Jdeo sicut iaculator, priusquam bene collimet, sagittam non emittit, sic nos nullum verbum depromamus, antequam ponderemus, quorsum,

ſum, & quò, lingva noſtra itura ſit. Hoc ſi obſervabimus, neminem unquam lædemus, ſimulque animam noſtram, ab infinitis malis cuſtodiemus: *Qui cuſtodit os ſuum, & lingvam ſuam*, ait Sapiens Prov: 21. *cuſtodit animam ſuam ab anguſtijs*, à remorſu ſcilicet conſcientiæ, à litibus & rixis, à pænis eas ſequentibus; ab obligatione reſtituendæ famæ: ab ira Dei, & reatu gehennæ S. Baſilius L. de vera Virg: aſſerit: *Deum ideo nobis duas aures, unicam autem lingvam tribuiſſe, ut nos doceret duplo aures, lingvam excedere debere, ita, ut dimidium loqui debeamus, ſaltem eorum, quæ audimus. Id etiam, de oculis dicendum, non omnia quæ videmus, loqui debemus, ſed dimidium, & ſæpe nec verbum. Ideo etiam natura tot portas conſtituit lingvæ noſtræ, primam labiorum, & quia hæc debilis videbatur, ſecundam dentium fortiorem adhibuit, ac ſi dicat: Cuſtodite lingvam, non ſemel claudite, & recludite illam &c.* Imo quaſi non ſufficeret hoc, David Dominum rogavit Pſal: 140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.* Ubi gloſſa quædam, Oſtium dicit

cit circumſtantiæ, ad ſimilitudinem illius, qui circumſtat oſtium, nè intret, vel exeat, cui non licet, & ſic erit oſtium continentiæ, & non ruinæ. Vide igitur, cum lingva adeò periculoſa res ſit, cui tot cuſtodiæ naturæ vix ſufficiant, quomodo ad eam regendam, operam, & gratiam Dei Spiritûs Sancti implorare debeas, & velis?

CONSIDERATIO XXVIII.

De Dilectione Fraterna.

REGULA.

Non carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio. Cap: 8.

Conſidera: 1. QUid Chriſtus Dominus noſter de dilectione proximi dicat, Marc: 12. *Diligere proximum tanquam ſe ipſum, majus eſt omnibus holocauſto-matibus & ſacrificijs.* Atq; adeò, Deo gratiùs nihil nos facere poſſe, quã diligere fratres noſtros. Quam-

obrem, ait Bernard: Memento Religiose, quod veneris ad Religionem, ut esses negotiator, & pretiosas margaritas, virtutes, & bona Spiritualia quæreres; nec contentus esto, si bona inferiora inveneris, sed summa quæque & excellentia perquire. Nil autem pretiosius invenies Unitate; non igitur parcas omnibus cæteris, propter eam obtinendam; sed jejunijs, vigilijs, & orationibus, audacter præfer unitatem. Volo autem, ut in ea sic maneas, non quasi, unus ex omnibus, sed quasi cum omnibus unus. Latè expande sinum, & ex omni genere piarum affectionum, claude intra viscera tua, ut omnibus omnia fias, & gaudere paratus, & compati, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, ut amorem, & unionem cum omnibus habeas, Spiritualem nimirum, non autem carnalem, ita, ut quos diligis, eorum tamen vitia non diligas, sed odio habeas, ipsisque minimè consentias. Nunquam enim aliquem in tantum diligere debemus, ut propter illum, malum aliquod committamus, aut Regulam, licet minimam violemus, quia

DEUS

DEUS ſolus, ſuper omnia diligendus eſt. Juxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus, & ex tota mente tua; Et proximum ſicut te ipſum.* Non autem diligis proximum, ſicut te ipſum, ait S. P. N. ſi non ad id bonum, ſed ad quod ipſe tendis, adducis. Jdeo alibi adhortatur: In Deo amate animas, & rapite ad eum vobiſcum, quas poteſtis, & dicite eis: hunc amemus, ſtate cum eo, & ſtabitis, requieſcite in eo, & quieti eritis. Vide, num ita dilexeris?

Conſidera: 2. Ut noſtra dilectio verè ſit Spiritualis, nos proximum noſtrum, diligere debere eo modo, quò eum Chriſtus Dominus dilexit, nimirum ex altiſſimo motivo: Chriſtus enim dilexit & diligit homines, quia DEUS Pater eos diligit, & quia ita eos diligi vult. *Hoc modo infinita, & æterna Dei erga homines charitas, inquit* Joan: Weyer Soc: JESU *eſt prima cauſa omnium, quæ Chriſtus Dominus, in hoc mundo pro nobis egit, & paſſus eſt. Deinde procuravit nobis maximum bonum, ſcilicet, ut eſſemus in hac vita Filij Dei per gratiam, eam ſemper*

per

per bona opera augendo, & in futura per gloriam, sive per possessionem perfectam Dei, & omnium bonorum ejus. Insuper dilexit nos, quia nobis omnia postposuit, & propter nos ea dimisit. Nam propter nos egenus factus est, nec voluit possidere quidquam, quò vel caput posset reclinare; Dimisit etiam propter nos honorem, nam in hoc mundo; & permisit se extremè contemni, ignominias, gravissimas injurias, & ludibria pati voluit. Demum ipsam suam vitam, & sangvinem pro nobis cedit, ut nos in æternum viveremus; adeoque *magis nos,* ait S. Cyril: *quam vitam suam dilexit.* Vide, quomodo, ad Exemplum Christi diligere velis?

Considera: 3. Diligendo proximum, nos fore perfectos, quia testante Apostolo Gal: 5. omnis lex in uno sermone impletur: *Diliges proximum sicut te ipsum,* & ad Rō: 5. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit.* Jdeo Christus Dominus Joan: 15 *Hoc est Præceptum meum,* inquit, *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Hinc dilectus Christi discipulus Joannes, teste S. Hierony-

ronymo, ſemper in ore habuit: *Filioli mei, diligite alterutrum*, rationemque addens: *quia Præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit.* Ubi enim charitas, ibi nemo alteri invidet, nemo alterum offendit, ibi alter alterum fraternè corrigit, ſupportat, iuvat *&c.* ideo Apoſt: Ephes: 4. Obſecro vos ait, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſvetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate; Charitas enim patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert. 1. Cor: 13. Diligamus ergo nos invicem, *quia, qui alios diligit ſicut debet*, ait S. Chryſoſt: Hom: 32. in Ep: 2. ad Cor: *ita vivit in terra, quaſi eſſet in cælo*, ſemper gaudens ſumma tranquillitate, in hoc enim bono charitatis, omnia bona habet, & per eam innumeras obtinet victorias, & coronas, & inæſtimabiles theſauros pacis. De qua pulchrè S. P. N. *O! Pax* inquit,
tu

tu animi tranquillitas, amoris vinculum, Charitatis consortium. Hæc est illa summa felicitas, quæ jurgia tollit, iras comprimit, cunctis placet, à cunctis optatur. O Pax, tu nescis extolli, ignoras inflari: Beatus, qui te habet, maledictus, qui te odit, & qui te impedit, & frangit, inter homines quodammodo Antichristus est, & filius perditionis. O Pax qui te habet, teneat, & qui te non habet, perquirat, qui te perdidit, requirat, si Filius Dei esse præoptat. O Pax, tale bonum, & in rebus cunctis, tam mirificum, tam gloriosum, quo nihil dulcius solet audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil possideri; Spiritus enim Sanctus, nunquam nos vivificat, nisi fuerimus pace uniti. Qui pacem cordis, operis, oris non habet, Christianus non debet dici. Nunquam sine pace, Orationes Jejunia, Elemosynæ, cæteraque bona, prodesse possunt, hæc S. Augustinus. Vide ergo, quomodo hanc Regulam observare debeas, & velis?

CONSIDERATIO XXIX.

De Obedientia.

REGULA.

Præposito, tanquam Patri Obediatur.
Cap: 9.

Considera: 1. OBedientiæ perfectionem desumi principaliter ex fine, cùm quis obtemperat Superiori, ſicut Domino, juxta illud Ephes: 6. inquantum ſcilicet Superior inquit Vinc: Caraffa de Obſerv: Vot: Cap: 5. repræſentat Chriſtum, cujus Vicarius eſt. Obedientia ergo, inquantum eſt virtus Religioſa, obedit præcepto Superioris, ut præcepto, & ordinationi Dei; ut igitur acquiratur perfectio obedientiæ Religioſæ, voluntatem Dei, veluti finem ultimatum, ſemper reſpiciamus oportet, obediamusque voluntati Superioris, inquantum repræſentat imaginatum, & quemadmodum idem eſt motus, in imaginem & imaginatum: ſiquidem cultu Latriæ reſpectivo, & minùs principali adora-

adoratur imago Crucifixi, ſicut eodem cultu Latriæ abſoluto & principali adoratur Chriſtus Crucifixus, ita eadem, quæ Deo, Superiori, inquantum eſt Vicarius DEI, debetur obedientia, juxta D. Bernardi dictum: *Pari obedientia deferendum, ſive DEUS ſive homo Vicarius Dei, mandata quæcunque tradiderit.* Et Serm: de obed: ait: *Fidelis Obediens neſcit moras, mandatum non procraſtinat, ſed parat aures auditui, lingvam voci, manus operi, pedes itineri, & ſic totum ſe intra ſe colligit, ut mandatum peragat imperantis. Sanctus verò* Jgnatius Lojola Conſtit: p. 6. cap: 1. §. 1. *ad ſignum* inquit *Campanæ, & Superioris vocem, perinde ac ſi, à Chriſto Domino egrederetur, quam promptiſſimi ſimus; re quavis, atque adeò literâ à nobis inchoata, necdum perfecta, relictâ. Idque non ſolum in obligatorijs, ſed etiam in alijs, licet nihil aliud, quàm ſignum voluntatis Superioris, ſine ullo expreſſo præcepto videretur.* Et hoc integre, promptè, fortiter, & cum humilitate debita, ſine excuſationibus, & obmurmurationibus, licet difficilia, & ſecundum ſenſualitatem, repugnan-

pugnantia jubeantur. Vide, an talis fuerit tua obedientia.

Considera: 2 Obedientiam Religiosam principaliter fundatam esse, non in cognitione sensus, vel rationis naturalis, sed in consideratione fidei, secundum rationes æternas; *siquidem principalis Superior, inquit*, cit: Vinc: *qui præcepit, DEUS est, & propter altissimum nostræ prædestinationis finem, certissimum est, nos nescire, quænam salutis nostræ sint media, eaque nobis prorsus esse incognita, solus DEUS uti prædestinare potest, ita solus ea cognoscit, & Religiosis proponit, non per aliam, nisi per obedientiæ viam.* Ergo quasi cæci, absque ulteriori discursu, per viam à Superiore nobis indigitatam ambulemus, illud suscipiamus exercitium, officium, & onus, quod nobis imponit obedientia, & securi erimus. Hæc enim securissimo tramite, nos per tres vias, ad ipsum apicem perfectionis, & ad æternam gloriam perducet *Per viam purgativam nos ducit*, inquit Tob: Loh: Soc: JESU: *quia obediens loquetur victorias* Prov: 21. contra dæmonem, qui nos per solas nostras volunta-

luntates proprias impugnat. Jdeo S. Gregorius: Cæteris virtutibus dæmones impugnamus, obedientiâ vincimus. Contra carnem. Jdeo Thom: Kemp: *Disce*, inquit, *celeriter Superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subjugare. Contra quascunquè difficultates, & tentationes, quia obedienti perinde, ut diligenti omnia cooperantur in bonum.* Deinde ducit per illuminativam. Hæc enim in nobis summa, & sola virtus est obedientia, ait S. P. N. Augustinus Tract: 11. de Obed: & humil: *Si jejunaveris diebus, ac noctibus orationemquè feceris, si in sacco fueris, vel cinere, si nihil aliud feceris, nisi quodcunque præceptum est in lege, & tibi visus fueris, quasi sapiens; & obediens Patri non fueris, omnes virtutes perdidisti.* Una obedientia plus valet, quam omnes virtutes, quia melior est obedientia, quam victimæ. Denique ducit per viam unitivam, quia proprium est obedientiæ, voluntatem obedientis, cum voluntate Dei, quem in Persona Superioris intuetur, unire. Vide nunc, quomodo obedientiam amare, & amplexari velis?

Consi-

Confidera: 3. In obediendo, ſpeculi loco, nobis inſervire, obedientiam Chriſti. 1. Anima SS. Chriſti, per ſcientiam ſuam beatam, & infuſam, ſemper Divinam ſpectabat voluntatem, & in illa decreta divina, quibûs perfectè ſe conformabat. 2. Obedientia Chriſti fuit continua, & intenſá uſque ad mortem, quam etiam propter obedientiam ſuſtinuit. 3. Fuit obedientia perfectiſſimi inſtar holocauſti; obedivit enim cunctis animæ potentijs, executiva, volitiva, intellectiva. 4. Tria motiva in particulari habuit Chriſtus, in obediendo Patri, primum fuit obedientiæ: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*. Secundum fuit amoris Proximi: *pro eis me ſanctifico*, id eſt ſacrifico. Tertium fuit Charitatis Dei: *Quæ placita ſunt ei facio ſemper*. Ad eundem modum, oculis mentis noſtræ ſemper obſervari debet voluntas Divina, in voluntate Superioris repræſentata, & in ea, Divinas perlegamus ordinationes, ijsdem nos conformando. 2. In omnibus, etiam difficilibus obediamus. 3 Cunctis animæ potentijs, non executiva duntaxat,

ſed etiam voluntate, & intellectu. 4. Obediamus propter motivum obedientiæ, Charitatis Dei, & proximi. Jdeæ loco ſint nobis, etiam SS. Angeli qui Divinam adimplent voluntatem, imprimis promptiſſimô animô, alacrî voluntate, & velociſſimâ celeritate. Deinde ſine diſcrimine,& repugnantia ulla,quod DEUS imperat, executioni mandant, ſivè gravia, & difficilia ſunt, ſivè humilia & abjecta, ac Majeſtati Angelicæ minus congruentia. De primo exemplum habemus. 4. Reg: 19. ubi juſsu Domini deſcendit quidem Angelus de cælo in Caſtra Aſsyriorum, & occidit una nocte, centum octoginta quinque millia. Non hoc quidem fuit difficile, Angelicæ Potentiæ, ſed voluntati per ſe conſiderando: nam Angelus Sanctus, hominum amator eſt, quare graviſſimum illi ſecundum ſe fuit tot homines ſimul interficere, & ad infernum mittere, nihilominus tamen, libentiſſimô animô, & citiſſimâ executione, DEI nutui obedivit. Jta etiam, quamtumvis grave quid nobis imperabitur, citiſſimè tamen nobis obediendum erit.

De

De ſecundo exemplum optimum habemus, in Raphàéle Angelo, licet unus eſſet ex primoribus Seraphinis, nihilominus tamen, Tobiæ Juniori pauperi, & captivo Comes Juvenis fuit, non quidem Angelico apparatu, ſed humano, & loco famuli, eum duxit, & reduxit, & parebat, ac miniſtrabat ei; quia ſic à Deo ſibi fuerat præceptum, neque queſtus eſt, ſe ita tot diebus, humili miniſterio addictum fuiſse. Sic nos quoque Deo, in Sùperiore parere debemus, ut quamtumvis abjecta præcipiat, ſine ulla contradictione obediamus, & honori proprio, non verò obedientiæ cedamus. Vide quomodo imitari velis?

CONSIDERATIO XXX.

De Honore & Reveréntia, erga Superiores.

REGULA.

Honori coram vobis Prælatus sit vobis. Cap: 9.

Considera: 1. NOs Prælatos & Superiores, semper honore magno & reverentia prosequi debere, quia reverentia Prælationi debetur, eo ipso, quod dignitatem habet super alios, & participatio quædam est Divinæ potestatis, juxta illud Apostoli Rom: 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* non enim est potestas, nisi à DEO, quæ autem sunt, à DEO ordinata sunt. Jtaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Sicut enim honor, & obedientia Superioribus exhibita, ita & omnis irreverentia, & inobedientia, in ipsum DEUM Supremum Auctorem redundat,

quia

quia ipſe dicit Luc: 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Jdeo DEUS ad Samuelem ait 1. Reg: 18. *Non te abjecerunt, ſed me, nè regnem ſuper eos.* Hinc monet Eccleſiaſticus, ut omni affectu honore, & obſequio Prælatos & Superiores proſequamur, dicens Cap: 10. *In medio Fratrum, Rector illorum in honore;* & quidem, ut Apoſtolus ſcribit. 1. ad Tim: 5. *Qui benè præſunt Presbyteri,* duplici honore digni ſunt, in quibus nimirum honorem meretur, & virtus propria, & gradus dignitatis. Hunc autem honorem, & reverentiam, docet Jac: Alvar: Soc: Jeſu, interius, exteriuſque præſtabimus. Interius quidem, ſi Prælatos majores agnoſcas, ſi dignos honore judices; ſi eis te, animo, ac voluntate ſubmittas: Exterius verò, ſi illis conſveta ſigna reverentiæ, & ſubjectionis exhibeas; ſi aperto capite, dimiſsîs oculîs, demiſsa voce, & paucîs verbîs, illos alloquaris; ſi coram illis nihil frivolum, aut levitatem præferens dicas aut facias; ſi abſentes honorificè nomines, & ad honorem tuum ſpectare putes, ſi Prælatos tuos venereris,

ris, quos Chriſti loco habes, & in quibus, ipſum Chriſtum agnoſcis. Vide num te ita habeas?

Conſidera: 2. Prælatos & Superiores, cum magna reverentia tractandos, nec eorum mores, aut vitam taxandam eſse, quia cum Dei locum teneant, ejusque perſonam referant; ipſe ſibi injuriam irrogatam deputat, quam in Prælatos factam conſiderat: *Dijs non detrahes*, inquit Moyſes Exod: 22. *& Principi populi tui, non maledices*. Deos vocat Prælatos, ac Principes Populi, ut in illis Deum conſideremus, & injuriam illorum, DEI eſse injuriam ſciamus. Quamobrem eſto, Prælatus, & Superior, ſuis laboret defectibûs, & ideò minùs videatur dignus, quem obſervantia & veneratione multâ afficiamus; nihilominus, quia poteſtate DEI vicariâ gaudet, & aſſumptus eſt in miniſterium, vicem Numinis ſuſtinentem, ſi non merita propria, certè officij dignitas exigit deferri ei honorē. *Etſi*, inquit, Bernardus, *maniſeſtè innotuerit, indigna Prælati alcujus vita, propter eum tamen, à quo eſt omnis poteſtas, excelſum reputare debemus,*

non

non præsentibus personæ meritis, sed Ordinationi Divinæ & dignitati ipsius officij deferentes. Hinc ipse Filius DEI Ap: cap: 1. Episcopos, quamvis imperfectos nominari voluit Stellas, & Angelos: ut benè observat Rupertus Abb: dum ait: *Ecclesiarum Præsules, quamvis aliqui pro vita propria, reprehensibiles sint, & Angelos, & Stellas appellare maluit &c. Et rectè quidem, quia Sacerdotes sive Præsides, quamvis interdum, pro suis actibus sint obscuri, pro officio tamen lucent &c.* Pari sententiâ cum suis Alumnis ratiocinabatur B. P. Dam: Opusc; 13. Cap: 30. Nolite, inquit, de Priorum vestrorum, perperam fortè viventium, meritis disputare, & non quâ gradiantur viâ, sed cujus vice fungantur, attendentes, illis in Christo obedite. Hæc una sit amussis, ad quam componatur vestrum parendi studium, & reverentiæ affectus. Unde oportet nos esse mutos erga defectus Superiorum, eosque dissimulare. *Prælatus enim homo est*, inquit Jac: Alvar: *Non Angelus, non igitur faciamus miraculum, aut portento simile, si aliquos in se defectus, necdum emendaverit. Ipse*

sustinet patienter nostros defectus, quàm plurimos, quid multum, si nos pauculos defectus Prælati sustineamus? et si Patris, qui nos carnaliter genuit, culpas ac defectus celemus, & excusemus, cur non potiori ratione, Patris Spiritualis defectus, & abscondamus, & excusemus? In omni opere & sermone, & patientia honora, id est (sustine) *Patrem tuum*, monet Eccl: 3. *ut superveniat tibi benedictio ab eo, & Benedictio illius in novissimo maneat:* & rursus: *ne glorieris*, inquit *in contumelia Patris tui, non enim est tibi gloria, ejus confusio; gloria enim hominis ex honore Patris sui, & dedecus Filij, Pater sine honore.* Vide quomodo in hoc te habeas?

Considera: 3. Nos Prælatos & Superiores nostro revereri; eorumque minimos nutus & cæcâ, & humilî obedientiâ exequi debere, quia nos firmissimè tenere oportet Prælatum & Superiorem, quem quis habet, à DEO sibi prædestinatum esse, & quidquid ipse præceperit, Dei præceptum esse Certò tibi persvade, ajebat quidam piùs Pater, apud Blosium, ipsum Dominum DEUM tuum, suâ æternâ sapientiâ ac bonitate

illos

illos Prælatos, quos habes in eo, quem ingressus es, statu, tibi prædestinasse, & providisse, ac per eos potiùs, quàm per alios, suam gratiam, tibi præstare velle. Quare honora Superiorem tuum, eique in omnibus obedi propter Deum, cui placuit eum cooperatorem habere, in animæ tuæ sanctificatione, regimine, & profectione ad vitam æternam. Sanè quamtumvis Superiores nostros honoremus, & in eorum gratiam, & pro eis faciamus, nihil tamen eis æquale rependimus, quia ipsi folliciti sunt de salute nostra, gravemquè rationem Domino DEO reddere debent pro animabus nostr,s, quâ propter adhortatur nos Apostolus Hebr: 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis*, quod ita explicat S. Thomas de Villa-nova: *Revereamur Fratres, Prælatos, & honoremus, & obediamus illis, molestum non sit colla subdere ijs, reverentiam præstare, qui unicè procurare satagunt æternam nostram salutem: Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus nostris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Sin verò miser Prælatus vilipensus, ingemiscet adver-*

versus te ad Deum, inquit Theophilactus *pro certo teneas, quod majorem pœnæ ac supplicij pyram accendit, acriùs vindicem, ac punitorem Deum promovens.* Justæ illius querelæ cælum penetrabunt, & ultrices flammas in caput tuum conscicent. Idcirco, quotquot fuêre in Ecclesia illustres animæ, verô DEI Spiritu imbutæ, in omnibus semper, & ubique suis Superioribus habuerunt reverentiam, eisque in omnibus, unicô peccatô excepto, obedierunt. Vide, quomodo hanc Regulam observes?

CONSIDERATIO XXXI.

De Observatione Regulæ.

REGULA.

Donet Dominus, ut observetis hæc omnia, cum dilectione, tanquam Spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore, de bona conversatione fragrantes. Cap: 10.

Considera: I. QUod omnem nostram diligentiam adhibere debea-

debeamus ad Regulam, ſecundum quam, vivere decrevimus, perfectè ſervandam, oſtendit S. P. N. dum in hoc ultimo Regulæ ſuæ capite vult, ut ſingulîs ſeptimanîs, nè aliquid negligamus, nobis legatur, ut ſcilicet in ea, tanquam in ſpeculo, nos inſpiciamus, an in faciè animæ noſtræ ſimus fædi vel pulchri. Nam ſi Regulæ, in quibus omnis noſtra perfectio, & decor conſiſtit, exactè obſerventur, anima noſtra coram Deo pulchra comparet, ut quæ, ita vivendo ſe Supremæ Regulæ, & ideæ omnis perfectionis, videlicet rationi, & voluntati Divinæ undequaquè conformem reddidit, quia Regulæ ſunt voluntas DEI, quam in omnibus ſequi obligamur. S. Franciſcus Sales: de am: Dei Libr: 8. Cap: 3. *DEUS*, inquit, *deſiderans, ut ſuam voluntatem ſignificatam* (per Regulam) *ſequamur, nos monet, ſollicitat, incitat, inſpirat: ſinit tamen ut reſiſtamus.* Idem Sanctus ait, *DEUM facere in ſignificata hac voluntate nobiſcum id, quod amicus cum amico, ad convivium invitato, qui deſiderat quidem, ut ille lautè habeatur, & appoſitis veſcatur, & amanter horta-*

hortatur, *ut comedat*, *non tamen vi aperit os amici*, *& cibum ingerit*. *Sic DEUS desiderat significatam suam in Regulis voluntatem observari*, *non tamen cogit*. Petamus ergo lumen, quò practicè cognoscamus, omnem nostram perfectionem, in ipsa Regularum observatione consistere, judicemusque, quod verissimum est, hoc esse unicum, & summum negotium, quod tota vitâ in Religione agendum, & extra illud, omnia parvi prorsus momenti esse, ac parum omninò nobis prodesse, imo communiter obesse, nisi omnes Regulas accuratè servemus, & quidem ut loquitur S. Pater N. *Non sicut servi sub lege*, *sed sicut liberi sub gratia constituti*, nimirum: ex altissimo motivo charitatis Dei. Firmissimè etiam teneamus, monet Joan: Weyer Soc: JESU, *quamlibet observationem Regulæ*, *etiam minimæ esse ascensum ad novam*, *& majorē justificationem ac sanctitatem*, *esse efficacem* petitionem novæ gratiæ, & directionis divinæ, novam DEO complacentiam, negotiationem prudentem, & efficacem salutis & perfectionis propriæ & proximorum, quare

ad

ad omne id, quod loquitur nobis Regula vel obedientia, dicamus: vox dilecti mei, qui vult me altiùs ad se ducere, his vinculis aureis, divinæ suæ charitatis. Vide, quomodo hucusque Regulas observaveris, aut certe deinceps observare velis, ut sis vir secundum cor DEI, qui facit omnes voluntates ejus.

Considera: 2. Religionem non habere majorem, & magis noxium inimicum, quam transgressorem, etiam unius Regulæ, quia talis impedit favorem, & benedictionem Domini, facitque quantum in se, ut DEUS subtrahat illi suam beneficam manum, adjuvantem, & dirigentem, sine qua paulatim deficit, & in interitum labitur. Equidem Religio vinea est Domini, eam sepivit DEUS legibus & præceptis, transgresssor Regulæ, illam sepem destruit, ut detur in conculcationem, & direptionem. Religio est acies bene ordinata, illius arma sunt Regulæ, & earum perfecta observatio, quibus hæc cæli militia, gloriosas pro gloria DEI, & salute animarum, solet obtinere victorias; hæc arma obtundit, eripit, & abjicit, qui Regulas transgreditur

ditur. Religio eſt hortus DEI, quem tanto labore coluit, & tanto ſuo ſudore, & lachrymis irrigavit S. Fundator: hunc hortum devaſtat, deſtruit, & conculcat transgreſsor Regulæ, è contra *Religioſus, qui Regulas diligenter ſervat, eſt columna, fundamentum, & ornamentum Religionis*, ait Joan: Weyer Soc: JESU *ob quem dat DEUS ſuas benedictiones, & alios ſupportat, ut emendentur, & reſipiſcant.* Unde nemo miretur, ſi à zeloſis Superioribus, transgreſsor Regulæ corrigatur, & puniatur; ipſis enim ex officio incumbit providere, ut Regulæ, in vigore, & flore ſuo permaneant. Quò circa, inquit Rodriquez Soc: JESU, *dum te Superior, re, vel verbis caſtigat, non ideo facit, quod malè erga te ſit animatus, vel minoris te faciat (novit ſiquidem nos homines eſſe, nec tanti eſse unam, vel alteram Regulam tranſilire) ſed, ut officio ſatisfaciat, quod eum obligat, & Regularum integritati conſulere, & ut in vigore primo maneant, advigilare.* Atque hoc eſſe diſcrimen, ait S. Bonaventura, *inter Religiones obſervantiæ primævæ ſervantes, ac benè formatas, & alias diſſolutas,*

rela-

relaxatasque, non quod in his parcatur, in illis minimè (hoc namque prorsus fieri nequit, quia in multis offendimus omnes) sed quod in observantibus, & benè formatis, Regulam infringens castigetur, & *reprehendatur, in dissolutis conniveatur.* Et hoc ipsum est, quod vult S. P. N. dum cap: 9. præcipit dicens: *Ut ergo cuncta ista serventur, etsi quid minus servatum fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum, corrigendumque curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit &c.* Et tandem Regulam suam sic concludit: *Et ubi vos inveneritis, ea quæ scripta sunt, facientes; agite gratias Domino, bonorum omnium largitori: ubi autem sibi quicunque vestrum, videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, orans, ut & debitum dimittatur, & in tentationẽ non inducatur.* Vide an, & quomodo hæc observaveris, aut certe imposterum observare velis?

Considera: 3. Cùm observatio Regularum non sit gravis, quare nonnulli tantas sentiant difficultates? quia nimirum, neque fortiter, neque integrè eas observare proponimus, & ideo à modi-

ca

ca difficultate victi, persvademus nobis, id non posse à nobis præstari, commodis enim nostris nimis sumus affixi, ideo non habemus robusta proposita, & firmas resolutiones, perfectionem assequendi. Abbas Abraham apud Cass: in Collat: de Mortif: dat rationem ex Eccles: Cap: 10. *Labor stultorum affligit eos, qui non noverunt ire ad Civitatem.* Sunt enim nonnulli, inquit, qui itinere non trito ad cælestem civitatem ire volunt, quærunt juxta suas adinventiones vias asperas spinîs obsitas, peregrinas, relictâ viâ planâ, & rectâ Regularum, quam Dominus ostendit, paravit, munivit, & facilem reddidit. Hi autem nihil se agere putant, nisi magnas, & extraordinarias assumant pænitentias, vigilias, jejunia, quæ etsi cum directione Patris Spiritualis, bona sint, & laude digna, tamen illa cum mærore & tristitia explent, tetrici sunt, nec hilares in obsequio DEI, & ideò etiam, onus illud portare, diù non possunt, itaque tandem omnia ex tædio relinquunt, ut nè ordinaria pietatis exercitia obeant. Tales verè sunt sine intellectu, neque nove-

runt

runt aſcendere ad perfectionem, & ire in civitatem cæleſtem Jeruſalem. E contra, qui magnanimi ſunt, & difficilia, & amara, quæ occurrunt, generosè ſuperant, & devorant, illi aliter loquuntur, quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Tu ergo ſi ſapis, ambula in via Regularum, firmiterque crede, ac tibi perſvade, te DEO, nullo exercitio magis placere, quam ſi in obſervandis Regulis ſis fidelis, ut etiam alij, qui vident te in obſervantia Regularum eſſe exactiſſimum, bonum ædificationis, & imitationis exemplum accipiant, Deumque in te laudent & glorificent, gaudentes, quod aliquem invenerint, quem volebant, expectabantque, qui ſibi hic, ducatum præſtaret. Vide igitur, quomodo Regulas, & Religionis juſſa, magnifacere, ac in pretio habere, exactiſſimèque obſervare velis!

Eſto fidelis uſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ *Apoc: Cap*: 2. 10.

Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus. Quod debuimus facere, fecimus. *Luc*: 17. ℣. 10.

CON-

CONSIDERATIO XXXII.

Eaquè Ultima.

Ex auctario exhortationum ad Religiosos, R. P. Joan: Dirkink Soc: JESU, in Festo S. P. N. Augustini.

Exemplô S. Augustini, anima Religiosa, serum suum, erga DEUM deplorat amorem.

Serò te amavi, pulchritudo tam antiqua pulchritudo tam nova, in Soliloqu. Cap: 31.

SI in Sanctos, DEUM in cælesti gloria perpetuo facie ad faciem contemplantes, dolor quispiam cadere posset; eò vel maximè tangerentur dolore, quod vel momentum vitæ suæ mortalis, absque DEI, tam amabilis, tam pulchri tam boni amore prætermisissent. Jta Sancti in hac vita, mentis oculos aperientes, cæcitatemque priorem agnoscentes; Deique bonitatem clariùs intuentes, dolent, ac deplorant, tot vitæ suæ dies, menses, & annos, absque DEI sui, adeo

boni

boni, ac pulchri amore, esse præterlapsos. Ex his fuit Magnus Pater Augustinus, unicè deplorans, quod omnes annos, usque ad annum ætatis suæ trigesimum tertium, malè impendens, DEUM non amaverit: *Serò te amavi*, exclamat, *pulchritudo tam antiqua, pulchritudo tàm nova: serò te amavi, væ tempori illi, quando non amavi te.* 1. Non amavi te in infantia, quando defectu usûs rationis, quemadmodum & alij infantes, amare te non poteram: *Tu Domine*, loquitur DEO Libr: 1. Confess: Cap: 7. *DEUS meus dedisti vitam infanti, & corpus, quod instruxisti sensibus, compegisti membris, figurâ decorâsti: Sed hanc ætatem, quâ me vixisse non memini, piget annumerare, huic vitæ meæ, quâ ego vivo in hoc sæculo, nam & in iniquitate conceptus sum, & in peccatis me Mater meã aluit in utero.* Hoc ergo tempore, (totò septenniò) non amavi te, quia non cognovi te. 2. Non amavi te in pueritia, à septennio ad quartum decimum ætatis meæ annum, *ab infantia*, inquit Libr: 1. Conf: cap: 8. & 9. *DEUS DEUS meus, quas ibi miserias, ex-*

pertus

pertus ſum, & ludificationes! ad Scholas datus ſum, ut diſcerem literas, quibus, quid utilitatis eſſet, ignorabam miſer, & tamen, ſi ſegnis in diſcendo eſſem, vapulabam, & peccabamus minus ſcribendo, aut legendo, aut cogitando de literis, quam exigebatur à nobis, & delectabar ludere. Atque ita amore luſus, & literarum odio, inſtar pueri me geſſi, te parum amavi, quia parum cognovi. 3 Serò te amavi, quia tam in adoleſcentia, quam juventute mea, te non amavi. Jllo enim tempore, *quid me delectabat, niſi amare, & amari. Et concupiſcentia carnis obnubilabat, & obfuſcabat cor meum, & rapiebat imbecillem ætatem, per abrupta cupiditatum & merſabat in gurgite flagitiorum.* Et quando poſtmodum, cæpi habere, nonnullam DEI, cognitionem, illum timere quidem cæpi, ſed nondum, perfectâ dilectione complecti: *nec me revocabat*, Libr: 7. Confes: Cap: 16. *à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri judicij tui.* Ac proinde eò tempore, te nondum dilexi. 4. Serò te amavi, quia ſerò te cognovi, donec tandem, circa

trice-

tricesimum ætatis meæ annum, post pium cum Alipio intimo meo colloquium habitum, in lachrymas solutus sum, & ut liberiùs lachrymas funderem; ab eo secessu, sub arbore ficûs stravi me: *Ubi dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum: jactabamus voces; quamdiu cras, & cras, quare non modo, quare non hâc horâ finis turpitudinis meæ? dicebam hæc & flebam, amarissima contritione cordis mei.* Et ecce, *audio vocem, de vicina domo, cum cantico dicentis, & metu replentis; Tolle lege, tolle lege, quo audito, represso impetu lachrymarum, surrexi, & concitus redij ad eum locum, ubi sedebat Alipius, ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram, arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quâ primum conjecti sunt oculi mei.* Rom: 13. Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione, sed induite Dominum JESUM Christum: *Nec ultra volui legere: nec opus erat: statim enim cum fine hujus sententiæ, quasi luce serenitatis infusâ, omnes cordis mei tenebræ diffugerunt:* Et dixi, dirupisti

vincula mea. Et novam, accedente etiam B. Ambrosij instructione, vitam auspicatus sum, & sic in dies, magis magisque, cæpi divinò amore inardescere. Hæc est lamentatio S. P. N. Augustini dolentis, & deplorantis, totâ vitâ usque ad Annum 76. protractâ, quod primos 33. Annos, amorî divino non impenderit, exclamantis; *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, pulchritudo tam nova, serò te amavi.* Et mox veluti damnans, & detestans hanc vitam, subdit: *Væ tempori illi, quò non amavi te.*

Examinemus nunc quoque vitam nostram, & clarè perspiciemus, nos eadem verba ingeminare posse, *Serò te amavi.* Non enim amavimus Deum in infantia, qui eam in nugis puerilibus, in lusu, inobedientia, iracundia, vanitate transegimus. Si juventutem nostram expendamus, quot vitijs, & peccatis, quot cupiditatibus, & vanitatibus, illam traduximus, quando cum ætate semper crevit malitia. Consideremus reliquã ætatem, usque ad hodiernum diem; an non exclamare cum S. P. N. Augustino possumus: *Serò te amavi pulchritudo tam anti-*

antiquâ, pulchritudo tam novâ, serò te amavi.

Sed quid remedij? non aliud, nisi ut cum eodem S. P. N. dolorem concipiamus, & desiderijs actibusque ferventioribus, compensemus damnum.

O DEUS meus! pulchritudo summa, omne bonum meum! o si te amare potuissem, primô vitæ meæ momento, quo à te corpus, & animam obtinui! o si te amare potuissem, illâ horâ, quâ sacrâ Baptismi lymphâ tinctus, & ab originali macula ablutus sum! o si te amare cæpissem saltem septimo ætatis anno, quò usu rationis, à te dotatus sum! o si te amassem! toto juventutis meæ tempore, & loco scelerum, & affectuum pravorum, in ardentissimos amoris actus erupissem! O si saltem seriò auspicatus essem, dum Ordinem Religiosum ingressus sum, verum cum id neglexerim: *Serò te amavi*, doleo, negligentiam damno, & omni meliore modo, cum gratia tua compensare allaborabo.

Serò itaque te amavi, 1. *Te Patrem ingenitum, Te Filium unigenitum, Te*

Spiritum Sanctum Paracletum, Te Sanctum & individuam Trinitatem, in medit: Cap: 11. omni omnium mortalium, & Angelorum amore longè dignissimam: *Serò amavi.* 2. *Te DEUS piè, DEUS bone, DEUS æterne, DEUS omnipotens, DEUS ineffabilis, DEUS immortalis. DEUS incircumscriptæ nâturæ, DEUS institutor rerum omnium, Principium, & finis, Alpha & omega*, in medit: Cap: 7. Conditor & Auctor meus: *Serò te amavi.* 3. *Te DEUM meum, sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio verum, sine situ, ubique præsentem, sine loco, ubique totum, sine extensione, omnia implentem, in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientiâ inæstimabilem.* Medit· Cap: 12. Te talem ac tantum, ah, *Serò amavi*!

Te pulchritudo tam antiqua, Sol: 31. Pulchritudo æterna, quæ ab æterno floruit, & in æternum florebit, nec unquam marcescet. O me cæcum, & stolidum! qui terrenam, brevẽ, & evanidam mor·

talis

talis cujusdam pulchritudinem dilexi, quæ inſtar floris citò evaneſcit, inſtar cadaveris brevi putreſcit, inſtar auræ, mox mutatur, & levî morbô contabeſcit, & te pulchritudo tam antiqua, tam longa, tot annorum millionibus perennans *ſerò amavi*.

Te pulchritudo tàm nova. Quæ non, ut in hominibus accidit, veteraſcit, ſed veluti ſol, ſemper manet nova; quam quoties in hac vita conſideramus, ſemper novas, & novas pulchritudines invenimus. *Pulchritudo tam nova*, tam recens, ut licèt beati homines, & Angeli, Cherubini, ac Seraphini totô æternitate aſpiciant, nova, & nova ſine fine intueantur. *Tam nova*, ut poſt millenas annorum myriades, tam recens, atque nova Beatis videatur, ac ſi hodie, primum intuitum coſpicarentur. *Tàm nova*, tàm admiranda, tàm amabilis, atque deſiderabilis, ut nunquam totâ æternitate, ejus aſpectu ſint ſatiandi. Et ego, o pulchritudo, tam nova! tam admirabilis! tàm *ſerò* ac ſegniter *amavi*!

Te pulchritudo, tàm antiqua, tam nova. In qua, quidquid pulchritudinis eſt

in

in Sole, luna, & ſtellis, in auro, ac metallis, in ſmaragdo, adamante, & gemmis; quidquid pulchritudinis invenitur in roſis, lilijs, & floribus, in hortis, herbis & plantis, quidquid pulchritudinis, cernitur in Beſtijs terræ, in piſcibus maris, & volatilibus cæli; Denique quidquid pulchritudinis elucet, in hominibus, in Angelis, Cherubinis, & Seraphinis, & cunctis ſpecioſiſſimis, & glorioſiſſimis Cæli incolis, perfectiſſimo, & eminentiſſimo modo continetur. Et ego *ſerò te amavi! Te bonum, ſine quo nihil bonum; in quo omne bonum.* Soli loq: Cap: 1.

Sed nunc, quam doleo, tot horas, dies, tot menſes, tot annos, abſque tui amore effluxiſſe! Non erit ſic deinceps, ſed diligam te fortitudo mea, diligam te pulchritudo mea, diligam te o bonum ſuper omne bonum, o pulchrum ſuper omne pulchrum, ex totis viribus meis, & ex intimis medullis meis.

Serò te amavi, quia non cognovi. 1. Non amavi: amare enim, eſt bene alicui velle; Per amorem conjungimur DEO, ait in Manual Cap: 8. O quàm

ſerò

ferò cæpi bene velle tibi! quamdiù contra voluntatem tuam mihi bene volui, non curans, utrum tibi esset malè! id toties feci, quoties peccatum admittendo te offendi. 2. Amare, est aliquem magni æstimare. O mi DEUS, quam parvi te feci! Dum toties voluptatem momentaneam, aut vilem Creaturam tibi, omnis boni inexhausto fonti, prætuli. 3. Amare est laudare, ac proinde semper laus tua, esse debebat in ore meo. Sed o mi DEUS! quam parum laudavi te, quàm tepidè, quàm distractè, hactenus laudes tuas deprompsi, quoties plus me, te vanè, & inaniter deprædicavi. 4. Amare est de amato identidem cogitare, & Spiritu conjungi: *Anima quæ amat DEUM, nihil aliud potest cogitare, nil loqui, cætera contemnit*; in Man: Cap: 20. Quàm autem raro, de te ego cogitavi. 5. Amare (ut paucis multa complectar) est de amato, crebrò, & cum voluptate loqui: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*. Aut cum amato crebros miscere sermones: *Amor facit, unum Spiritum de duobus*. Man: Cap: 18. 6. Pro eodem strenuè laborare. 7.

Ardua

Ardua pati: *Amor facit idem velle, & idem nolle.* Libr: Cap. In amore enim non vivitur abſque dolore. Ego verò, quàm raró de te locutus ſum, quàm modicum laboris ſuſcepi! quam parum ſuſtinui. Et ex his liquet, quàm parum te amârîm. Itaque ſerò te amavi.

Examinemus inſuper amorem noſtrum, nùm juxta conſilium, petitum, imperatum, promiſsum divinum, ac minas ad amorem Numinis adeo boni, cor, & affectus inclinaverimus: *Amor enim*, inquit S. Auguſtinus, *in ſe omnes traducit, & captivat affectus.* Et fortaſse cum Auguſtino, quilibet meritò lamentari poterit: *Serò te amavi. Tu mi Deus! ſvaſiſti mihi, à te emere aurum ignitum amoris. Apoc:* 3. Sed ego hactenus, conſilio tuo non parui, & emere nolui. Petiviſti cor meum: *Præbe fili mi Cor tuum mihi.* Prov: 23. Sed ego, illud creaturis dedi, tibi ad amandum præbere nolui. Declarâſti voluntatem tuam mihi, quod velles à me amari: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* Luc: 12. Ego autem voluntatem tuam non implevi, & ve-

lut

lut lignum viride ignem tuum concipere nolui. Tu mandaſti mihi, ut amarem te: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo.* At ego hoc mandatum tuum prævaricatus ſum, nolens amare; Promiſiſti cælum amanti, minatus es infernum, amare recuſanti: at ego & promiſſiones, & minas tuas flocci feci, adeoque verè lachrymari me, & lamentari par eſt cum Auguſtino: *Serò te amavi.*

Quâpropter, ſi errorem, defectum, negligentiamque noſtram, in amando DEO agnoſcamus; nihil aliud reſtat, niſi dolor, & propoſitum. 1. Quiſque dolorem eliciat, quod tam ſerò unicum, & ſummum bonum ſuum amarît, dicatque ex intimis cordis ſui medullis. Doleo mi DEUS, quod tàm ſerò te amaverim. Neque amavi te in infantia, neque in pueritia, neque in juventute; neque debitè id præſtiti in Religione. Tranſierunt tot horæ, tot dies, tot menſes, & anni, abſque tui dilectione, in quibus ſi voluiſsem, tot millenos amoris actus elicere, & reſpondentes illis, cæleſtes coronas promereri valuiſsem.

Sed

Sed nunc transijt occasio illa, & tempus pretiosum avolavit. Quid igitur superest, nisi, ut illud, quod restat, breve temporis mei spatium, in amore tui transigam. Hoc itaque nunc est est firmum animi mei decretum: *Dixi nunc cæpi.* Diligam deinceps te fortitudo, pulchritudo, & beatitudo mea! diligam te, & tu eris semper in memoria mea, ut tui recorder: tu eris in intellectu, ut te cognoscam, in voluntate, ut tibi bene velim, & te diligam, in ore, ut de te & tecum loquar: in manu, ut pro tua gloria operer & patiar. Cùm vero sine te nihil valeam, dico cum S. Augustino: *Jubes te diligi Dne, da quod jubes, & jube quod vis. O ignis! qui semper ardes, & nunqu m extingveris; O amor! qui semper ferves, & nunquam tepescis, accende me, & accendar, accendar inquam, totus à te, ut totus diligam te.*

Piæ

Piæ Petitiones S. AUGUSTINI.

Tardè, & cum aliqua consideratione recitandæ.

DOmine Jesu noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam, nisi te,
Oderim me, & amem te,
Omnia agam, propter te,
Humiliem me, exaltem te,
Nihil cogitem, nisi te,
Mortificem me, & vivam in te,
Quæcunq; eveniant, accipiam à te,
Persequar me, sequar Te,
Semperque optem sequi te,
Fugiam me, confugiam ad te;
Ut merear defendi à te,
Timeam mihi, timeam te,
Et sim inter electos à te,
Diffidam mihi, fidam in te;
Obedire velim propter te,
Ad nihil afficiar, nisi ad te,
Et pauper sim propter te;
Aspice me, ut diligam te,
Voca me, ut videam te,
Et in æternum, fruar te. Amen.

ORE-

OREMUS.

ABſorbeat quæſumus Domine JESU Chriſte, mentem meam, ignita, & melliflua vis amoris tui, ab omnibus, quæ ſub cælo ſunt; ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es, in ſigno Crucis mori. Qui vivis & regnas *&c.* AMEN.

JNDEX CONSIDERATIONUM.

Consi-

JNDEX.

APPROBATIO.

EX mandato Jllustrissimi Reverend: Officij Varsavien: & per Masoviam Generalis, legi Librum, qui inscribitur: *Considerationes supra præcipuos Articulos Regulæ Divi Aurelij AUGUSTINI Epis: Hippo: & Ecclesiæ Doctoris Eximij*, nihilq; in eo reperi, quod fidei Catholicæ adversetur, imò contentas in prælaudato Libro Considerationes omnes XXXII. progressui in Religiosa perfectione mirè conducentes, & accommodatas esse censeo. Varsaviæ die 6tâ Martij, Annô Dñi 1760.

Stanislaus Kmita Soc: JESU, Sacræ Theol: & SS. Can: Doctor, Exa: Diæc: Generalis Præfectus Studiorum *mpp.*

IMPRIMATUR

FELIX PAULUS TURSKI U. J. D. CANONICUS Metropolitanus Gnes: & Varsavien: Vicarius in Spiritualibus & Officialis Varsavien: ac per Ducatum Mazoviæ Generalis *mpp.*